ALOIS. CHRYSOSTOMI FERRUCCII CIVIS ROMANI FABULARUM...

Luigi Crisostomo Ferrucci



ALOIS. CHRYSOSTOMI FERRUCCII

CIVIS ROMANI

FABULARUM

RELIQUI LIBRI VI

Quatenus nobis denegatur diu vivere,
relinquamus aliquid, quo nos vixisse
testemur.
PLIN. LIB. VIII EP. VII



FOROCORNELII
EX OFFICINA GALEATIANA
ANNO M DCCC LXXIIII

AD LECTOREM.

Ea est natura ingenii, devexis humanitate temporibus liberaliter instituti, ut opinionum commentis, rerumque convulsione quasi alis utatur ad gloriam. Religio divinae Fidei, spes conferendi aliquid ad perpetuitatem Sapientiae a Salomone profectae, ardor animi aestimantis res patriae ab excellentia majorum, quasi apices triplicis metae, recta proponunt, et stimulos addunt ad meritam laudis singularis, ordine restituto, post debellatam licentiam. Ea tamen laus minus pertinet ad artem dicentis, vel scribentis, quam ad docilitatem audientium vel legentium: effectus enim eloquentiae, ait Tullius, est eorum adprobatio.

Sed nunc, turbata disciplinarum ratione, nemo nisi rebus in trutina positis, et interius cognitis fertur ad doctrinam castigati examinis, non autem utilis consuetudine communionis, arte dicendi postha-

bita eruditionibus, et originibus Linguae. Platone celebrato, deserto Socrete, insaniunt homines commentitia civitate, et civium officia plerumque negligunt domi, forisque. Quapropter poetae, quasi pastores meditantur fistula quod errabundas oves ad septum revocet, adulando temperantiae veterum spe salutaris inter recentiores non admirationis, sed aemulationis.

Totum id muneris (quod esset plurium) minima dubitatione mihi peragendum suscepi, nec hactenus mihimetipsi, aut aliis deficere visus sum ab inexpugnabilis pertinacia propositi: quippe qui, subjunctis Lyristi meo Christiano, post Epistolas, et Epigrammata, Fabularum Libris tribus, eisdem Libros adhuc numero sex adjicio, ut aliquando compositi simul fiant praeludium recuperandae postliminio humanitatis, cujus instituto Latine loqui, juxta Ciceronem, est in magna laude ponendum.

Videsis, lector, quae sit nostrorum hominum socordia, ne dicam, improbitas in re propria. De Scipione Maffejo legimus, eundem tanti fecisse Latinas Litteras, ut cogitaret de Coetu Academico fundando, in quo sermone, scriptis, et cultu omnia latine fierent. Maupertuisius Germanis auctor erat, ut operam darent civitati aedificandae, cujus intra muros pura puta Latinitas ageretur, more majorum in omnibus rebus et negotiis nunquam intermisso. Fri-

dericus II. rex sapiens, itemque fortis, Borussis suis praecipiebat, ut eloquio Latini essent, quo Romani effectu potestatis evaderent. Nec aetate proxime superiore defuit De Maistrius philosophus magni nominis, apud Ruthenos florens auctoritate et gratia; qui simul ac sa in eorum consuetudinem insinuavit, id agebat, ut sibi persuasum haberent, nusquam unquam molliri posse animos agrestium populorum, nisi Latina litterarum institutione instillatum esset, quod civile fieret vinculum officiorum et vitae. A Camillo Cavourio viro celebratissimo (loquente juxta sententiam Gustavi, post eundem ipsum, deplorabilis fratris) haec sunt verba prolata in bibliotheca Mediceo-Laurentiana XIII. Kal. Majas anni MDCCCLX. quae, ne videar contaminare vix habentibus fidem, genuine recitabo — *il Latino è come il pane, che dà consistenza ad ogni alimento di dignità nazionale, se dobbiamo essere razza Latina.* —

Nôsti, lector, quos testes adhibeam ad cultioris humanitatis studia in Latinitate tuenda; ne ea dum tueor, exercitationibus quibuscumque meis videar velificari. Ea quidem Latinitas palaestra est nobilium ingeniorum, et quasi tessera, per quam adolescentes in coetum clarorum antiquitate virorum quodammodo insinuati, sermonis usu compotes fiant doctrinarum, quae vitam alunt, ornant virtutibus,

fine consummant vitae consentaneo, monumentorum fide posteritati commendant.

Nec ego, quemadmodum Tarentinus Architas apud Horatium, particulam arenae inhumatus impetrabo: sed ipse numeroso pulvere meo facile contectus pacem inveniam, ceu fax in cineribus suis, patiens desiderari redivivo humanitate studiorum, hilaritate cordium, congruentia morum et disciplinae cum Religione divina. Etenim Religio (mea quidem sententia) est pudor Sapientiae cupide servientis Deo, nec eundem perfunctorie observantis, ad compescendam exempli vi multitudinem: quod reprobatae communione superbiae, viros mente depravate et nefaria adstringit scelere inexpiabili. *Vellent* enim *legibus uti, jura constituendo* (ait Lucretius lib V. de R. N.) nec se gerere devinctos legibus; quarum omnes *servi* sumus, ut *liberi* esse possimus. (*Cic. pro Cluent.*)



ALOIS. CHRYSOSTOMI FERRUCCII

FABULARUM LIBER IIII.

AD ALOISIUM CIBRARIUM COM. V. CL.

Sentio te vinci dulcedine mellis ab arte
  Pieridum, studii vir memorande fida
Perpetua circa Latium, instrumentaque linguae,
  Italicis numeris quae dat habere decus.
Haec igitur series fabellis sponte suborta,
  Nomina ne jactet quarta legenda tuo
Sic immunis eat livoris edacis! in annos
  Vivere (si vivet) debeat atque tibi.

I. INVIDIA ET MOLA.

Plures indignantur, ob invidiam flatibus
Adversam, detractorum genus incommodum,
Quod suffragantium meritis levat fidem,
Hi si considerarent, quanti sit molae
Agendae eductus agger in contrarium
Aquae fugacis, utilis ut fiat mora,
Obtrectantibus haberent aliquam gratiam.
Sapiens vir impetrat invidiam in praesentia
Rerum, ut rumores per sinistros ambulet
Secum reductus, et tritura umbratilis
Doctrinae ad metam studiis admirabilem.

vi. CARDUELIS ET VILLICUS.

Cantare carduelis ob ulmo ceperat
Plaudendo pennis, nec deterrebant boves
Sulcis operosi: sed arator, subsistere
Dum volt, avertit, oculos attollens, avem,
Intuitu placitum simul et omisit melos.
 Quaerens videre libertatem vir, fugat
Diruit et ratio meritum consistens fide

---

vii. DISCIPULUS ET ASINUS.

Quidam discipulus obsequebatur asino
Frondem adpetenti, digitis sed primoribus
Admorsum, dum porrigeret, incessit dolor,
Simul et benefici consors poenitentia
Asinos nem novit male meritos evadere
Vel si faciant inviti, ipsorum ingratiis.

---

viii. PILEUS ET CAPUT.

Qui fit, pleromque capitis ut sim pileus
Index, et testis in eo quot sint unciae
Cerebri, majore dilatatus circulo,
Vel castigatus juxta ingenium temporis?
Caput hoc responso garrulum coercuit:
Arctum te fecere, aut patulum arbitrii est mei
More relaxato, te permissum do tibi,
Eodem et emendato, ipsum te contraho
Nulla unquam e tectis aestimabitur domus
A tecto sed, ait pileus, est impluvium
Ergo plus capiet pluviae, plus et grandinis
Liberior pileus in civili turbine
Offensione sensus, et damno rei

---

v. ## ASINI ET POETA.

VACANTES asini se scalpebant invicem
Alter in alterius collum operosi dentibus,
Amoris in fraterni testimonium
Vidit, et ajebat unus e gregariis
Militiae Apollinaris: misericordia
Quam me delectat ista vicissitudine!
Genus poetarum agit inter se morsibus,
Et gladio linguae humanitatem destruit.

vi. ## AVARITIES.

QUAEDAM anus avaritiae devota sordidae
Fili glomeramine convolutos plurimo
Delectabatur aureos abscondere
Discos monetae astutia inexplicabili
Anum intestatam sed apoplexis sustulit.
Heredes hanc sine honore, et luctu funeris
Terrae intulerunt minimi habentes et globos
Congestae ruditatis filo versatili,
Deflenti famulae concesserunt integros,
Dudum insolute pro mercede menstrua.
Post paullo famula meditata sui commodo
Telam ordiendam fili crassitudine,
Risit aviam, et nepotes fraudatos simul.
Fabula quo spectet, capiat, et consideret
Avarus, una et imprudenter prodigus.

vii. ## LEO ET ASINUS.

LEO repentina febri correptus solo
Jacebat, circumstantibus animalium
Potioribus in spem regni, eodem mortuo.
Ægrotus sed mutando violenter latus,
Vivum se comprobabat, et diutius
Victurum, invitis praestolantibus exitum

Lethalem. Accessit asinus: tunc — testor tibi,
Dixit leo, potuisti qui tremefacere
Me semel, horum quod nemo usquam unquam praestitit
  Amore populos, proceres et obstringant metu
Regnorum heredes aequitate maxima.
Minus est doctrinae in sceptro, quam sit ponderis

VIII. RHINOCEROS ET ELEPHAS.

Est rhinocerotis, et elephantis cognita
Natura discors, viribus ut sunt dispares.
Rhinoceros sed congressu formidabili
Majoris hostis, oblimato narium
Ad saxa cornu, se vehementer tibiis
Adversum infert ejusdem, et alvo subjicit,
Creber ut inflictu mole prosternat gravi
Nequidquam evadere meditantem excidio.
  Sic fortitudo vincitur prudentia.

IX. SECURITAS ET METUS.

Servire servitutem armorum est gloriae.
Glebarum servitutes qui disterminant
Ab Orbe toto, sic ajunt, et adserunt
Delectu tamen haec una indeclinabili,
Dubio futurae quandocumque injuriae,
Tot cives aufert domibus, et arvis rusticos,
Ut nemo occurrat, bene quem dicas liberum.
Libertas serviendo nam se destruit,
Securitas nec consistere potest metu.

X. NOCTUA ET OCREA.

Noctua se dominam testabatur ocreae
Adversus conclamantes acriter pedes
Hanc sibi deberi, suris at sororibus
Hic habito jamdiu cum progenie mea.

(Noctua dicebat arrogantibus obvia)
Hoc nos decedere si contingeret angulo
Obscuritatis pace inaestimabili,
Confestim lis et litis contestatio
Vobis met ipsis esset hac super ocrea,
Quisnam possideat integram, quae non capit
Unica vel suras geminas, vel pedes duos
Nullum est consortium dominatu, vel breve est

---

xi CATELLUS ET DISCIPULUS.

Catellus adulabatur dum juvenculo
Motando caudam, simul infrendens dentibus,
Morsu corripuit quem gestabat is manu
Librum, circumferendo per cubiculum
Exercebatur perfide elusus puer
Dudum obstinati canis ob insolentia.
Eripuit tandem vi, quem tenuit, litteris
Lacerum sed hunc, et sordidum qua pagina
Pensum patebat memoriae scolasticum.
Deflere puerum hic, oblatrare sed canem
Pater intercessit baculo in utrumque rigidus
Praeceptor sed eum excepit misericordia.
Hunc pavidantem cauda, demissis auribus,
Redintegrandae vidimus in spem gratiae,
Jacere sceleris conscium (ut par est) sui

---

xii FRINGILLA ET OPERARIUS.

Prostabat cantilena incomparabilis
Fringilla titulo triplicis excellentiae
Vimine conclusa, et obaccesis gnaviter
Mercenarius accedens — quanti, dixit, est? —
Respondit alter — ossium trincenties
Uno nec jam centusse minus hanc venderem —
Tune ille fossor tantin' tantulam aestimas?
Si tale fieret operae mi compendium,

Unius mensis irem victualia
Laute paratum. Cura ut vivas, institor!
Plerumque invidia similis fit Belisario
Qui praevalentis vi clarescat ingeni
Inter vulgares arrogantes. Nomine
Pretium praevertit meriti virtutem et gradum

XIII. VERMIS ET PHILOMELA.

INTERCAPEDINE mortis, et vitae brevi
Vermiculus implorabat ire sospitem
A rostro philomelae, quam cantu principem
Omnes fatentur, et impetravit vivere
Ait philomela: quidni faciam fortior?
Reges armati nunc parcunt serpentibus.

XIV. FUR ET SOL.

MALIGNITATE nebulae fur optaverat
Conseptum adire quod prohibet aerario
Sacer Saturnus amoveri publico
Et supplicabat Soli, ne resisteret.
Palam fit hodie, dixit Sol: repagulis
Adhibe vim subitam. Injuria neene facias,
Sacrilegus necne sis, putabunt posteri.
Praesentes super eventu singuli stupent.

XV. LIBERTAS, MAJESTAS, ET PATRIA.

IBAT Libertas fascibus ac securibus
Onusta, plures obvios et silentio
Habuit laboris minime sollicitos sui
A testudinei sede sod conopei
Ejus in occursum venit Majestas, manu
Cui paludamentum sustinebat Patria
Haec ut conspexit pondere subactam prope,
Partibus aequatis, cunctos quae facit pares.

Servilio cogitavit se subducere.
Pejus at invenit, laseibus ac securibus
Impositis dorso, Libertatis imagine
His super instructa corpore nam nulla est ea,
Excedit omnes sed gravamine sarcinas.
Tempus consulite, ut consulatis tempori
Vos, curiosi circa sensum fabulae.

XVI PHILOSOPHUS ET VILLICI.

Orcs recentis curae mendolum typis
Admirabantur litteris proslans rudes,
Sed non emebant, nihil earum compotes.
Quara philosophus succensebat acriter,
Reos et dicebat inexcultae scientiae.
Respondit unus e minutis villicus
— Reus es telluris inexcultae tu sarculo,
Nostrorum invasor inconsulte finium
Sic increpando, caelum destruis tuum.
Nec apparerent absque nocte sydera,
Sine nobis obscuris nec dignitas tua. —
Necessaria doctrinae est ignorantia
(Quae desidiosa differat ab ignavia)
Operam ne vincat opera vis superb oe.

XVII. COCHLEA ET LOCUSTA.

Nescio qua meta itineris, per fastidium
Viae salebrosae, truticeis et horridae
Simul ambulabat cum locusta cochlea
Haec intricari saepius ab obstaculis,
Ea sed carpendo quidlibet esui foret,
Longo intervallo, ad comitem saltu praepete
Pedes referre, facile sublapsam retro.
Tandem diversas ire, res, et indoles
Attulit omnino varia, locustae commodo
Haec est ingenii mediocribus aequabilis

Plerumque sors praeire nam nolunt pati
Defectu disciplinae nec possunt sequi

XVIII. FESTUCAE ET AVES.

Ibant festucae convolutae vortice
Ventorum, nimbis simul evectae pulveris,
Ubi jacuere, videbantur et inutiles
Sed advenerunt, nidificante mensium,
Aviculae, rostro comportantes hanc levem
Inutilitatem, et conserentes arborum
Ramis, ut esset mox cubile partubus
Nihil est, emunctae naris quod legentibus
Careat momento (quandocumque sit) suo
Quare vetustati scriptae date veniam

XIX. CERDO ET ARANEA.

Martinianus, omnium miserrimus
Cerdonum, subulo transfixit araneam
Superimpendentem, quae tendebat retia
Telis subtilibus Tunc magna molestia
Muscarum invasit opera servilem virum
Hic sibi defendens agmen infestum, manu
Subulam agitante, lumen detraxit oculo.
Sic puniuntur immerentium injuriae,
Quas inferunt ingrati, vel temerarii

XX. CRYSTALLA ET VENTI.

Boreae furore confligentis cum Noto
Exagitabantur crystallis pellucidae
Fenestrae alterno continenter impetu,
Donec dissiluere nitidis minutis
Disterminatae, conserentes et solum
Nullo seditione fides it sospes metu

XXI MOLOSSUS ET SIMIUS.

Contemptus inferiorum est insolentiae
Damno nec fas est minimos pendere minimi,
Quod oestrus praecipitio demonstrat bovis,
Ita et molossus compositus cum simio
Rei veritatem ponimus hic pro fabula
  Acer molossus exercitatissimus
Venando, jactabatur insuperabilis
Terrore magno circumstantium, et loci
Simiolus unus horum, qui ludibrio
Sunt pueris, exultantes pomo, vel nuce,
Bacillo instructus, numerosus item saltibus,
Quod circulator et magister vult, facit
Inter faciendum celebri sed frequentia
Infert inopinum se molossus It fuga
Praeceps puerorum globus area fit seni
Palaestra ludi Simius coram cane
Constitit armatus baculo formidabili
Invaserat molossus, ut subverteret
Rictu, subtusis natibus, imperterritum,
Qui capite laeso tangeret occumbens solum
Simius elusit confidentem hunc viribus,
Oculo irretorto prudens, et recellere
Se cautus in periculi praesentia
Quandoque et maximis circuitionibus
Fuit expedito sospes ab adversario,
Qui subsistentem praevertebat impetu
  Tempus nocendi tandem nactus simius
Rictu demissi emicuit in caput canis,
Posteriorum et pedum constringens unguibus
Aures, bacillo creber et in cerebrum invehi,
Sic arrogantem edomuit, ut spectantium
Indulgens circulator misericordiae,
Odiis ulterius hunc prohiberet tendere

— —

xxii
CUPRESSUS ET VITES.

Cupressus alta medium vineae tenens
Lente crescebat, nullam et adjungi sibi
Vitem de tot serpentibus, et erraticis
Coma viridante coelebs audebat queri.
Tunc magna erupit vitium indignatio
Cum voce unanimi — Æqui bonique ducito
Tibi, quod sub umbra tacitae versamur gravi.
Tu nec hederarum digna contubernio,
Expers laetitiae, quae racemis defluit
Expressa nostris autumnali tripudio.
Pereat, et amputata jaceat, palmite
Gemmante nullo, siqua claviculis velit
Tecum unquam facere! — Inulta jam nec amabilis
Audivit haec cupressus, habebit et sibi
Diu tabescens cura circumstantium.
  Choros puellares siquis celebrat senex
Spe nuptiarum, legat hic, et consideret.
Nos contristamur hodie laesis vitibus,
Livore mercem corrumpente, quam prior
Pater Sabinus attulerat in Italiam.

---

xxiii
CAPREAE ET APES.

Vis obcaecatos, Musa, dem temerarios?
Dabo. Caprearum est indoles vagantium
Ut insultando carpant quidquid obvenit.
Immurmurabant alveari proximae
Apes, legendo florum per cacumina
Quod mellis ad opificium prodeat utile.
Ideo confertas petulantibus occurrere
Et excaecare aculeis barbatum genus.
  Hoc ab elegantiis habet ac leporibus
Latinitatis hodie barbarum genus
Ardelionum radicitus has volentium
Scrutari. Pereunt oculi: superest gratia
Non observata, at observanda posteris.

XXIV

HYSTRIX ET VENATOR.

Pueri! ne dissipate vires ingeni
Exercitationibus subitariis.
Venator occupavit hystricem manu,
Terrore vano divexata per nemus
Postquam se jaculis effudisset omnibus

XXV

ANAS ET GALLUS.

Anas fluentar liquidum percurrens lacum
Pedibus occultis obstrepebat insolens,
Mire cristatus, expeditus et unguibus
Gallus sed agebat se per amoenum marginem,
Hora ubere consistens in silentio
Ideo replebat anatis vox viciniam
Successu gaudens ea sibi tunc prospero,
Ausa est lacessere taciturnum, qui — prius
Ostende pedes! — ait, et radices montium
Una gallicini vice personuit igneus
Oculis, erectus pedibus, pleno gutture,
Echo repercussos congeminavit et modos
Anas sub unda posuit obscurum caput.
Mittant inepti provocare strenuos

XXVI

RAPHAEL ET ANDREAS PICTORES.

Erat Raphael invidiae multis Sanctius
Incomparabilis pictor excellentiae,
Favore populi judicantis rectius
Quam philosophicis disciplinis qui vacent
His adridebat veritatis diligens
Vannuchius Andreas: merito sed gratiae
Praestabat Raphael communi sententia
Interfuit qui diceret — Vannuchius
Humana statuit, is divina consecrat
Quis Virgilio nam praeferat Lucretium? —

Michaelangelus obmutuit in praesentia
Tunc rerum, fautor maximus civis sui

XXVII TONSTRINA.

Pilis adlubabat tonsor vim novaculae
Asperioris quare caesuras subditus
Distorquebatur mento, simul et naribus
Interea feles proxime suggrundio
Exercebantur ejulatu Quid novi,
Tonsor dicebat, inter eos est aemulos?
Tunc patiens sic adradi, querelam excutit
Hac voce: — et hi sub cultro sunt tonsorio

XXVIII. COLUMBA ET SERPENS.

Sequebatur columbam serpens lubricus.
Eadem volando sed prodire longius
Quam posset serpens agere se volumine
Ventum est ad flammas stipulae crepitantes Stetit
Hic illa tamen expediens se periculo
Super evolavit. Sic simplicitas viribus
Naturae potuit insidiantem fallere.

XXIX PAVO ET MONEDULA.

Comros oculatas dum pavo superbiae
Pennas in gyrum agebat tacite turgidus,
Monedula persuasit, ut despectui
Pedum indulgeret. Visis detumuit eis
Ales, mox longo strepitu fuit incommodus.
Ambitio fastu, aut lingua praesens officit

XXX BOMBYX.

Sibi parare qua consistat mortuus
Dormitione, maximum est scientiae
Siquis opificio bombycis procedere

Condiscat vita flet ut aliger, diu
Cunctando in tenebris, mox erumpat carcere,
Magni æstimandus opera fibs aurea

xxxi. CALOR ET GELU.

Calore possunt res interimi, vel gelu.
Nihil hoc perspectius est: humana gens tamen
Ruit ad extrema, semper abhorrens (ut patet)
A medio, quo perculsis rapitur sensibus,
More puerorum, nec judicio sistitur

xxxii. RUSTICI ET APES.

Depopulabantur alvearia rustici,
Favis maturis alio migrabant apes,
Nec æris ullo sonitu convinci fuit
Eas inferius laesas, et coltis suis
Defrusas, rursus ut coirent ad operam,
Circuitione praedatorum inutili
 Inulta, aut indefensa pietas si loco
Cedat, spes abeunt omnes, invadit metus
Damni praecursor proximus, et osor lucri

xxxiii. CANIS DOMESTICUS.

Canis in obsequium dominae praecisum auribus
Fieri sustinuit, odoratu sed perditus
Venatoris heri caruit omni gratia
Relegatus ad imbelles sine negotio
Aucupii, levibus aut idoneos jocis.
 Sic se plerumque feminarum sub jugo
Habent adolescentes, quos acies nigent
Consortio studio faceret inclarescere

xxxiv. ULULA RANA ET VIATOR.

Judex viator inter ululam constitit
Et ranam, decertantes de praestantia

Gutturis. Argutus ille in hanc sententiam
Exivit: sonus est varius, par molestia,
Ulula, tu tristior, tu rana, frequentior.
  Recentiores quidquid in adversum latrent,
Effectus artis melicae est delectatio.

XXXV. ANGUILLA PARTURIENS.

Praegnans anguilla rate captiva scirpea
Prolem edidit multiplicem partu praecoce
Haec subrependo facile evasit carcere,
Moritur sed breviter innatavit fluctibus,
Libertatem desiderat et adhuc parens.
  Maturare vetat eventus maturitas,
Libertas minimis ne fiat licentia
Letalis, proceres et ludibrium debeant
Captivitatis semper in eodem statu

XXXVI. PYGMAEUS ET GIGAS.

Unum e Pygmaeis extulit ad vadum gigas,
Esset qui praestans humeris, et item viribus
In sicco positus hic, vidisse longius,
Ait, insequentes hostes, et ideo fugae
Praesens dum dat consilium, mercedem petit.
Ire fugitivum te discrimine fluminis
Exemplum liceat; at intervallo fluminis
Divisum fugere me, decus esset hostibus
Humeri tu prudens altitudine de mei
Tibi caveto, gigas reposuit, heus! fuga
Et, pro mercede, natibus impegit pedum
  Sic a praeteritis aetas haec nostra poterit
Haberi merito: quae doctrina praepotens
Majorum, quod eis debet, arrogat sibi

XXXVII. VIR BONUS ET ADMIRATORES.

Admirabantur quidam sagacem virum
Rebus in incertis consistentem propria

Æquanimitate, gratiosum et omnibus
Conversus ad eos, sed nescitis, hic est,
Quantum saburrae stet carina conditum,
Recto ut me talo semper in vita geram.
Hoc dictum est illis qui feruntur ad optimum
Doctrinae, et morum inani desiderio.
Alicubi bonus est vir, nullibi sed optimus.

---

xxxviii. HOMO AD CUPRESSUM.

Quidam festivitatis osor in omnibus,
Meticulosus et imminentis exitu
Mortis quibusque rebus, et negotiis,
Coram cupressu secularis verticis
Ajebat se mirari, quod mortalior
Arbore vir posset indulgere risui.
Doctrina imbutus alter, et modestia
Morum observandus, sanctitate nec minor
— Ego sed immortalitati servio —
Dixit. Ut intelligant, sensu qui sunt pio,
Quanti laetitiam custodire conferat
Cordibus humanis infusam divinitus
Nusquam unquam tristes habitu Religio facit

---

xxxix. NEPOS, ET PUTEUS.

Instauraturus a fundamentis nepos
Ædes avitas, sustulit omnino puteum
Super hoc interroganti — Ne sim prodigus
Aquae, curavi sublevandam hanc fistulis,
Epistomio parentem et feci, ne foret
Vicinis liber haustus ad fastidium —
Haec est hodierna civium fraternitas,
Communione bonorum expectatissima
A libertate putei disce ceteras

XXXX FORTUNA ET EQUUS.

Lubrica rotatu se Fortuna contulit
Equorum ad stabulum, gratulor et vobis, ait,
Quod feriatos faciat vos tandem via
Ferratilis instrumento inelucjabili
Trahente merces cujuscumque ponderis
Cursu praerapido, nullis se induens.
Eorum unus respondit est quo singulis,
Fortuna, doleas etenim exemplum machinae
Velocitate facile reginae, tristium
Nobis virorum duplicavit verbera,
Et furias, vitam plures ut lapsi pede
Ponamus sub flagello, dum compellimur
Dare plus plagosis, quam natura perferat —
Fabula, quis dubitet? moribus obstet pessimis
Horum, quos domines tu Fortuna, turbine
Rerum fecisti, fida contubernis
Obedientem se qui nunquam praestitit,
Nunquam jubebit aequitate debita

———

ALOIS. CHRYSOSTOMI FERRUCCII

Fabularum Liber V.

AD PUERUM NOBILISSIMAE DOMUS APUD BRITANNOS.

Salve! delicium puellae matris
Lovisae, decus et domus futurum
Inter praecipuas honore dignas
Quaesita meritis celebritate.
Spes magnas, puer omnium leporum,
Sustentas apud inclytos Britannos
Cultores veteris Latinitatis
Senatu, et populo, modis palaestrae,
Bonarum studiisque litterarum
Laudes o utinam redintegrando
Majorum juvenis, vir inde et annis
Noscas, percipias, memorque serves
Quo Britannia re sit inter omnes
Florens nunc etiam, vigensque gentes
Nimirum quia plus capit Latinae
Dignitatis adhuc domi, forisque:
Et migrare moratur ad scholarum
Doctrinas novitate curiosas
Ipsa in liminis eruditione.
Sic morem patrium juvare pergit,
Antiquis sapienter institutis
Haerendo Latii, docentis artem
Vivendi aequanimem, perinde ut olim
Æquis judiciis libravit Orbem.

NASUTI.

Duplex est ratio nasutorum in litteris
Odoratur Aristarchus quod sit proprio
Et eleganter lucubrando conditum
Parce commendans: inconcinna corrigit,
Perversa expungit, tollit et superflua,
Priusquam dura fiat experientia
Typorum, candidus et impertit quod adjuvet
Insomnis Momus simulat, ut deutur typis
Quae persequatur mox odorans, acriter
Notando lubricus et proponat risui
Qui studiis alacer Veritati serviat
Coram explicatis nitide conscientia,
Colat Aristarchum, declinando judicem
Momum cum sociis infestantem culmina
Deorum, ne dum famae capaces viros
Mediocritate contentus laudis hic est
Inter mediocres quaerere, mereri et fidem,
Securus e malignis Eloquentiae
Effectus audientium est approbatio
Effectus Veritatis consistit fide

I. BUBO, ET PASSER SOLITARIUS.

Vesperam praevertens tenebras bubo lubricus
Plumis, in numerum et tristes eliciens modos,
Jactat se musice carmine procedere
Sono sic noctem dominatur per integram;
Aurora sed Orientis dum pulsat fores,
Vocibus e tecto passer solitarius
Effert se placitis, queis exilium praecinit
Diu securo praevalentis naeniae
Posco aestimari, bubo loquebatur prius
Quam eliminatus culmine decedam meo
Explebo numerum: mox erit migratio
Tunc passer numeri consonantia satis
Prodire lentus: non ego sum, musice,

Ait, tenebrarum qui prohibeat te mora
Totum hoc negoti pertinet ad diluculum;
Illud quod tu declines, infundit mihi,
Rebusque revelandis a Sole proximo.
  Datur cuique tempus utendo suum
Nec ultra fines fas est aliquem progradi,
Quantumvis numerosum probet se tempore.

II. VIOLAE ET PUERI.

Odore violas halantes suavissimo
Calcabant pueri certatim temerarii,
Solari specie amando veris primulas,
Has et corollis conserendo ductiles.
Venit qui monuit de profano crimine,
Sed risu excipitur, violis succumbentibus
  Habet hoc plerumque, vel semper qui perdidit
Oleum et operam disciplina vix utili
Indociles inter pueros, qui velint sibi
Adulari magistros, nec eosdem sequi.

III. MAGISTER, ET SCHOLASTICUS.

Magister observandel inquit scholasticus
Æquales inter Thraso, meme sentio
Aptum ferando commentis probabile
Opus, historiam interserens: mecum omnia
Antea digessi, jamque in eo sum ut pariam.
Magister ait: caveto a partu viperae! (1)

IIII. DISCIPULI ET MAGISTER.

Scholasticum certamen inire proximi
Annali aculeo, celebri fastidio
Discipuli vigiles, item et memoriae

(1) Viperae (partu serotino) tarditatis impatientes perrumpunt latera, occisa parente. (v. Aristot. Plutarch. etc.)

Se delassabant exercitus improbi.
Bene laudo memores, sed laudarem impensius,
Magister ait, elucubrationibus
Ingenii numeros si proferre vos foret,
Rerum et verborum delectu probabili,
Limae, et laboris utili praeludio.

EQUUS, PUERI, ET MAGISTER.

Equus frenatus argumento jam fuit
Disciplinae puerorum litterariae.
Arabs caballus stabat in adversum scholae
Insigni stabulo, bullatis ephippiis
Qui docilitatem maxime rependerat.
Ideo magister proferebat praemia
Bullarum, queis sese gererent alacriter
Pueri, mercede studiis, exemplo feri,
Habebant quem quotidie propositum sibi
Fuit ex eorum numero qui diceret
Arabs ille antecedit mira splendidus,
Venamur elegantias per lexica
Nos edcurati nimis, humi dum serpimus
Magister ad haec: humiles quantumvis via
Contingat ire, vos haerebitis altius
Fundamentis doctrinae, ut inde consceri
Vobis virtutis, in salutem civium
Agatis in sublime calor quod mentibus,
Aut refrigerium sit, propter scientiam
Juxta naturam temporum mutabilem,
Ex instituto immobilis Sapientiae,
Quae stat sacratis Bibliorum paginis,
Veteris Novique Testamenti sub fide

ANUS ET OVA.

Anus posuerat ova gallinacea,
Queis incubaret mater, apto tempore
Pulli ut se laeso proderent putamine

Mustela cepit infestare sed locum.
Isdem compositis alibi, consuluit anus
Rei: tamen irrita spes cecidit in omnibus
  Ratio scholarum disturbata sic habet
Se: discipulorum nec propago evenerit
Avulsa veteris stipite magisterii.

VII. ## DISCIPULI ET MILES.

Adfectabat militiam aequatis passibus
Discipulorum manus percurrens atria
Scholarum amplissima, imagine fortitudinis
Recens delectu juvenis in praesentia
Rerum, quam vellem ait, experiri singulos
Eos, militaris disciplina quod sapit
Vigiliis, et laboribus, et jejuniis,
Instrumenti sub fasce indeclinabili!
  Numerus, non animus hodie belligeros facit,
Nam perfunctorie res agitur maxima,
Vi considerata numeris irrumpentibus,
Virtute sed meliorum intus coercita
Sic et merentûm inverso vincitur ordine,
Ars dum mortiferis praegravatur machinis

VIII. ## HERMODORUS.

Coram perversis civibus erubescere
Boni dum coguntur humili patientia,
Exul it a se, qui non exulat a patria
Ephesum Diana templo celebratissima
Sacrabat: incolarum vinolentia
Sed officiebat tantae molis nomini
Eo res pertinuit, Hermodorum ut principem
Juberent exulare, nisi se lubricum
Daret bibendo communi licentia
Mente ut valeret, princeps abiit a suis.

---

viii. PAUPER ET OSTIARIUS.

Vir immisericors provocat ad injuriam.
Pauper famelicus ante divitis fores
Orabat relici de pane secundario.
Negavit ostiarius superbia
Vestis inauratae, et amplitudine balthei
Dimissus ille sed acerba licentia,
Foedavit hunc clysterio mollis luti.

---

x. PUERI ET SENEX.

Globus puerorum agebat lusoribus
Ante fores templi: graviter corripuit senex,
Hunc exceperunt sed et jactis lapidibus
Ab unguiculis impunis temeritas facit
Monitis indocilem pubem, mox et impiam

---

xi. ÆDITUUS ET ANUS.

Æditus curiosus commentaculo
Latrantes a vestibulo arcebat canes.
Anus devota Deo tunc a praesentia
Redux sacrorum, produc observantiae
Tutelam, dixit, rigidam, quo nefarii
Rideat sub aram quod opertum mysteriis
Sacerdotes operantur ritu maximo.
Labor in cautela semper est inutilis,
Ubi sanctimoniam destituerit fides.

---

xii. ALUMNI SUB MAGISTERIO.

Certis diebus, ut mos est per temporis
Reliquias hyemales, intemperantius
Cohors alumnorum faciebat cantibus,
Vi fistularum, saltibus et inconditis.
Producta videbantur diutius orgia,
Quam par esset: quapropter exivit sonus

Summi magisterii, voce modum imponeret
Qui desipientibus. — Desipere est in loco
Non improbatum ab slavis et majoribus:
Id perpetuare pertinet ad insaniam.
An tota agetur vita sub crepitaculis? —
Ea vox alumnos disciplinae reddidit
Necessitati, quae formaret singulos
Ex instituto moribus, et studiis bonos

XIII ANATES, CANIS, ET VENATOR.

Canis lacustris insequebatur anates,
Exterrefactas objiceret ut ictibus
Venantis heri: temere sed ille dum facit,
Ut antevertat dissipatas, excipit
Quam meditabatur globulis mortem plumbeis
Ulli innatantium venator certissimus.
Discat qui legerit, prudentem in periculis
Se gerere: quamquam indociles hic temerarios,
Adde vel iniquos, finis proxime manet.

XIIII ALAUDA ET COTURNIX.

Sui, et suorum stimulis incendens amor
Plerumque caecos perdidit miserrime.
Coturnix, et alauda speculi periculo
Versantur in eodem. Sub sole maximo
Haec se demisit venatoris ictibus
Sublata vi fulminea medio gramine.
Ea sed insidias subiit sub diluculum,
Reticuli praeparatam implens fallaciam,
Occasione speculi utrique noxia.

XV GRYLLI ET CICINDELAE.

Cicindelarum luculenta copia
Cuimos obruat messium recentium
Grylli sed exultantes in tripudio

Obscuri sulcis resonabant arentibus
Date quid de vestro, grylli orabant, lumine
Canoras omnes faciemus nos invicem
Absit pernicies, gens ea dixit, aurium!
Sublustris umbrae rumpite vos silentia
Nos illustramus tacito, qua licet, loca
Vir litteratus temporis in praesentia
Sonare fama qui contendat nominis,
Caveat, ne faciat more perstrepentium
Gryllorum, lente studeat et inclarescere

---

xvi. COS, CHALYBS, ET FERRUM.

Cos agitabilis in gyrum sub aquae sympulo,
A denticulato sustinebat malleo
Adhuc refingi chalybe, et ferro testibus.
Ecce ego sic comminuor vobis! Tu sed, chalybs,
Duritiem, donec acutus fias, exue
Ferrum, et tu fer distentum ire per laminas,
Et virgas aliquando redibis utile
A me sectilibus, mox rigorem ut sumpseris
Cos est ingenii quodcumque magisterium
Praeceptis et doctrinis observabile,
Ubi vim praecipiat, studiis qua fiat potens
In humilitate disciplinae debita
Ingenium qui non habeat, ne velit minus
Docilem praestare se: nam diligentia
Obsequii, et operae tollet sibi pro viribus,
Ingenio quod detraxerit arrogantia

---

xvii. OVIS ET CAPER.

Ovis indocilis extra naturam, sub capro
Negabat ire pastum cum sororibus,
Saepe et insano arbitrio tondebat domum
Jejuna, tamen (ajebat ut ipsa) libera.
Dux gregis hanc cerebrosam confecit ictibus
Si me non metuis, tandem metue cornua!
Videant! quos tangat sensus hujus fabulae

---

xvii. FLORES, ET HERBA FRUMENTI.

Flores amando plurimi mortalium
Curis ibant inanibus deperditi
Jupiter admonuit nive condensa, et frigore,
Vanis coloribus, et corollis splendidis
Praestare herbam frumenti invulnerabilem
Calidariis nihilominus audebant viri
Naturae obsistere, et turbare tempora.
Tunc ira belli, famis, et pestis serie
Quaerere coegit, superinduxit et metum
Ævi supremi. Sic eos frugem ad bonam
Redire fuit, id est ad herbam tritici,
Pro spatio viridi, pro venustis floribus
Cultura agrorum, paritate sumptuum
Alendo spem futuri in re domestica

---

xviii. PLATANUS ET CORYLUS.

Habitat superbia sub radices arborum
Nedum vivorum in pectore penetrabili
Platanus, et corylus inter vicinos solum
Definitione terminabant ultima.
Unus dominorum voluit aratro scindere
Hoc ipsum, faceret ut serendo idoneum
Nocebant umbrae: patula sed platanus magis
Totam occultasset frugibus meridiem
Quare pepercit herus huic, et eam sustulit.
Sed congemendo platanus supremum fortiter
Icta securi — nunquam avelles (sic increpat)
Umbrarum me reginam et esse, et dicier. —
Ex humilitate sospes corylus fructibus
Abundat, sterilis ubi regina constitit

XX. OPERARII ET INSTITOR.

In charitate annonae frumentariae
Agrestes operam portabant in diem
Satis quod esset panis e silígine
Ad portas urbis adstitit qui diceret
Panem acerosum, solidos asses et decem
Pretio proponeret: melioris nam notae
Panes emendi *minimi* prostabant foro
Quod spectavit, id astutus tenuit institor,
Sibi qui prospexit fallacis industria
Verbi, et cavisse dixit e mendacio,
Minimos qui dixeo, jam nec pretio fecerit.
Meridie sed cessantes mercenarii
Hora famelici convenerant ad forum,
Fraudati vilitate adserta et singuli
Viginti emerunt assibus decem dolos.
  A credulitate abstineant panem qui merent
Opera, contenti parvo, nec jam insanient
Pluris putando quam panes, pecuniam,
Paupertatem aestimando non ex assibus,
Quotidianae sed frugis e substantia.

XXI. AUCUPIUM.

Differre fures a latronibus arguit
Hoc, quod clam faciunt illi quidquid auferunt,
Hi rapiendo pugionibus palam
Prorumpunt avidi, minimo justitiae metu
Quidam expeditus manibus, sed cautus sibi,
Ne laederet facinore conscientiam
Quid medium excogitavit, et fecit dolo
Agricolae se discordes ejusdem domus
Diu gerebant: ideo res domestica
Curae minori ceperat esse singulis
Sic invitatus ille gallinario
Plane indefenso, misit exercitus
Falconem rapidum, praevalentem et unguibus.

Incustoditas qui gallinas protinus
Arriperet, et continuo deferret sibi
Ita persecutus ejus per consortium
Praedam, qua pinguis fieret gallinaceam
Invidiae fuerat vicinis stupentibus
Licere tantum huic, agricolarum incuria.
Venit qui furti, aut latrocinii diceret
Hunc insimulandum, subeat judicium ut grave,
Tunc ille verbis infit arrogantibus:
Nec fur, nec latro sum, qui contumeliae
Merito subesse debeam ex injuria
Falcone quod patratum est, quaerere distuli;
Falcone quod paratum est, hoc ego fruor.
Quis abnuat ditari negligentia
Alterius, in periculo rerum omnium?
Nec fictis caussis utor ad discordiam,
Agricolis nil caventibus bonis suis,
(Suum dicere si sit quod non custodiunt)
Principio ruris discrepantes usibus,
Deinde vitiis indulgentes urbium,
Noctes diesque dediti spectaculis
Ordinis et moris in ruina publici
Audax qui fit paupertate maxime,
Fortunae occurrit promptitudine prospera,
Tenet et quod occupat, ut, trahente flumine,
Gaza potitur, harpagone qui facit.

XXII FELES ET MURES.

Feles exercebant odio mures gravi,
Natura quod habent inde a teneris inditum,
Non intermissa et exacuunt indagine.
Credibile est ergo intercessisse maximis
Rerum conversionibus inducias
Aliquas et foedus postea sancitum fide,
Ne quid mox caperet detrimenti murium
(Recte si posset dicier) respublica,
Ex indulgentia generis hostilis indole

62

Quidquid sit, quidquid intulerint vel hic novi
Novae res, libertatum consequentia,
Ego differtum doleo muribus horreum,
Clam muscipulis adactis ad fastidium,
Scatentes hortos ejulantûm et copia,
Utrinque laesus auribus, et a frugibus.

---

xxii SUPERCILIOSIOR POETA.

Ferruccius (poeta quo licet modo
Per aetatem poetis infestissimam
Humanitati qui dent operam seduto)
Acceptum referebat naturae cum nigro
Supercilio privilegium durabile
In ipsum senium: ideo studebat forfice
Quotidie mane canis innascentibus
Inferre caedem, ne nigrorem laederent.
Quidam levitatis admiratus in sena
Argumentum quod esset, reprehendere
Nil dubitavit: sed Ferruccius huic subdidit
Responso — Ne rarissimos quod audeam
Sic insectari, pessimo vertas mihi:
Ago namque testes ablegare candidos
Resipiscentis animi (vatem qui decet
Minime) colorem corvis objiciens suum
Quandoquidem invidia nil garrire desinunt,
Obscuritatis me scribentem et arguunt,
Ut arceant legentes a meo styli,
Et se defendant ignorantia mei.

---

xxiii PUERI ETRUSCORUM.

Rossinius speculator morum, et indolis
Cujuscumque undecumque incomparabilis,
Viden' ut Etruscis pueri sint mirabiles,
Dicebat, gallulascere simul ac datur?
Eos natura propitiata matribus
Cumulat loquelae numeris bene sonantibus,

Praecox judicium instillat et ab origine
Quum vadum ad disciplinas est gymnasii,
Natura quod fundavit, ratio distrahit,
Ingenuitatem violat et arrogantia,
Futidi ut eveniant, arguti qui germinant.
Stultus redarguit quod patratum invenerit
Natura, principale deflorans decus,
Ut artificio quid deterius inferat.
Amittit gratiam sic, qui studeat assequi,
Sic et patriam qui quaerit, amittit focum

---

xxv LILIUM ET APIS.

Lilium apud spinas floride agebat solo:
Invidit serpens niveae pulchritudini,
Viru contaminavit et venefico
Interius calicem: mellis sed opifex apis
Supervenit, et a luteo tulit necem.
Splendore paginarum decipiunt libri
Cavete juvenes! it venenum per typos.

---

xxvi BASILISCUS ET MEDICUS.

Basiliscus intuitu letalis, et halitu
Arenas Lybiae perlustrabat, sibilo
Longe timendus et cavendus proxime
Sed solitarius incidit in fastidium
Vitae sic, ut taederet ipsum se sui.
Quare sub terra talpae agentis auribus
Quid instillavit, ad medentem ut pergeret.
Consultus hac expedit se sententia:
— Aut sit, prout est, aut non sit, qui te misit huc
Quaesitum quo naturam mutet pharmaco

---

xxvii

FABER FERRARIUS.

ABUNDAT opera, diligenter qui facit.
Faber ferrarius ex ingenio singulis
Morem gerebat fabricando machinas,
Quibus difficilis aditus esset clavium,
Multiplicatis vectibus, et obstaculis.
Non æmulatione, invidia sed lucri
Quidam properavit ex hoc genere plurimas
Condere, minoris omnibus parabiles
Plerique sed infideles experti seras,
Breviter vacantem dederunt hunc fautoribus
Sic, ut collegam adiret, et se dederet
Ei, spe mercedis sustentantis in dies

xxviii

CERDO.

MORTUUS haberi ceperat cerdo senex,
Malae quem invasit pusulae contagium
Ætate aliena, pluribus id loquentibus
Tunc angiportus in taberna sordidae
Instrumentum artis disgregatum in otio
Coire instituit, et congratularier,
Quod exsoletis crepidis et sculponeis
Non esset serviendum turpiter amplius
Sed plus productis, quam referret, feriis,
Situs occupavit mordax a rubigine
Humi per udum confuse jacentia
Laborem repetens valetudinarius
Adhuc cerdo, funiculi vim sutorii
Invenit calceis maleficam, et marcidam
Penitus obtusam cumque sica subulam
Solus restabat tudes indomitus luride
Perniciei et, hoc arrepto, cetera diruit
Jam non utiba dominus, ut emeret nova
Intra fibellam videant quid lateat boni
Quidam regale supra culmen scandere
Ausi cohortis praepotentis impetu

Vulgi subesse pedibus aliquando potest,
Civitatis qui summus sit ordine,
Idem sed honore simul ac recipiat suo
Se, quos aerugo tetigit, tundet malleo,
Aliter prospiciens sibi, reique publicae

XXVIII. TINEAE ET ANTIQUARIUS.

Ibant impunes tineae per scrinia
Chartarum, perforando intemperantius
Vetustas quod peresum litteris daret.
Vidit, et miratus advena, an nemo legit?
Interrogat antiquarium, nemo movet,
Ait: et ostentu haec sunt, donec se destruant,
Situ condensis biatlis, atque tineis
Viget hic domus decretum nobilissimae
— Videre fas est omnia, non et tangere. —
Facili regressu sic nefas est progredi
Doctrinis, ubi se dives ignorantia
Tuetur titulis, et obastit tempori
Male sustentata pervicax superbia

XXX. HIPPOCRATES SOCRATES ET OPICUS.

Hippocrates et Socrates volumine
Non uno redivivi per omne seculum
Doctrinae maritia, admirantes invicem
Perversa quod mutavit consuetudine
Humanos mores per campos, et oppida,
Quid hoc novi est? interrogabant legibus
An non est sensus observatis tamdiu?
Fundata an institutis defecit salus,
Deique disciplina ineluctabili?
Opicus ligone cessans respondit palam:
Vos sibilant hodie vivi, et orbe ab altero
Petunt sanari, nec suspendunt lancibus
Quo convalescant: faciunt temere, et illico
Domi insuaves, parfurentes et foris

Summum malorum mors non est, ut antea.
Quin et perventum est rabie plusquam civica
Eo, proponantur ut ubique praemia
Fabrorum, ingeniis qui disterminantibus
In acie plures breviori dent tempore
Vel dissipatos, vel peremptos ictibus
Valete, abite! nobile magisterium
Ætatum ad hanc injuriis teterrimam
Hic nemo capiet vos, siquid loquemini

XXXI GEOGRAPHUS ET PUMILIO.

Exspatiatus per Orbem vi geographus
Studii, regionis noverat cujuslibet
Fines, et alta montium cum singulis
Regnis, imperiis, et eorum provinciis.
Idem linteolis totus in patentibus,
Linguas recensens morum similitudine,
Nova jam circuitu designabat omnia
Recentiorum ratio fert hoc gestiens
Secare mundum in partes, ceu cucurbitam,
Has et regendas dirlibere subditis,
Donec laborent imperitia principes.
Subiit pumilio sciscitatus, gentium
Ubinam consistant, qui tres ulnas exigant
Statura, secum et agant matrimoniis
Sic, ut formicas æmulentur editi
Infantes, et vagitu careant proxime
Geographus negavit ullibi viros
Esse, aut fuisse tales Ego sed undenam?
Infert pumilio quaero, posco, flagito
Locum, quo sim minoribus, aut videar gigas
Tu supra regum genus, et imperantium
Satis, determinando quid erit postea
De rebus acquisitis jure sanguinis,
Audax auferre praecoce nunc sententia
Ego minores me cupio cognoscere,
Adveniens ipse ut illuc primus artifex

Rerum novarum, quod praescribis, impleam
  Risit geographus ultimum et minus sagax
Fiati mirantes ejus et scientiam
Faciat quietos, ut quietus sit domi

---

xxxii

LEO ET SERPENS.

Leo sylvarum rex a fortitudine
Perambulabat regna securus sua
Calcavit is serpentem occultum frondibus,
Qui tectus iracundia spiris multiplex
Sic ventre, et collo dominum constrinxit loci,
Ut, spiritu intercluso, cogeret mori
  Aut non sint reges ubi latent astutiae,
Aut si sunt, habeant unde evadant integri

---

xxxiii

CANIS ET FELIS.

Sub tecto domini rusticantis passibus
Ab urbe septem millibus, vel amplius
Vir et mulier agebant sic concorditer
Circa famulatum, ferme ut felis, et canis
Revera felis alter, canis et altera
Curam gerebant provida custodia
Abundabant sed rixae hinc inde, questubus
Et quotidianis turbabant viciniam,
Latratu, et ejulatu consentaneo
Tandem inquietis dominus ut succensuit,
Imperat a fele esse muliorem, virum
A cane sic et campestris diversorii
Compositis rebus, similis ad similem migrat,
Satis placata posthac consuetudine.
  Custos disciplinae infidelis est amor,
Societas et inamabilis dissimilium.

---

xxxiv

AGNI ET CAPELLAE.

Agnorum pueri gaudebant consortio
(Receptus grex imagine innocentiae);
Nunc omnis ad capellas migravit favor,
Fratres et hoedos cornibus subalbidis
Desiderantur jam nec, quod oleant, minus.
Sic a petulcis ad procaces fit gradus
Ex advenarum libera frequentia,
Quorum superbo per tempus fastidio
Majorum mos, et ratio decedant focis.

---

xxxv

STOICUS ET FOSSOR.

Defunctu vitae stoicus insignis ederat
Illuc ubi fossor humili misericordia
Sepeliendis operam navabat mortuis
Commilitonibus et amicis in acie.
Quid urges, inquit ille, officium inutile?
Omnes ab obitu nos migramus ad nihil.
Quam multae occurrunt ossibus exustis ferae,
Longe lateque intra telluris terminos,
Vita spoliatae, nec sub arena conditae?
Tunc e regesto fossor, mos est unicus,
Ait, insolensque in ceteris animalibus,
Generis ejusdem se destruere invicem.
Eorum in dispar cernitur ferocia,
Soli triumphant homines de damnis suis.
Fossores distinemus pestilentiam
Frustra! pejus enim macerat et quatit Deus,
Dum seculeri plectit nos insania
Pacis per arma vigilis, et probabilis
Belli, tot odiis cives exercentibus.

---

xxxvi

ROSSINIUS AD INSTRUMENTUM VAPORIFERUM.

Rossinius artis decus, et columen musicae,
Coram vaporiferae instrumento machinae

Ejus lamentabatur de tyrannide,
Posset qua mille temere creditos sibi
Ruina molis perdere subitanea.
Valeant, ajebat, tot opera formidabilis
Peritiae volucri constipata pegmata!
Laudo miraculum, sed abstineo dare
Illic me sessilem: paralyticus etenim
Ad metam itineris ferem, cum periculo
Corporis et animae, praevalenta turbine
Fumi, rotarum ac strepitu plusquam musico.
Genus humanum nimis beul servire machinis
Elegit. Hoc judicio occurrent posteri
Stultitiae apud praesentes immedicabili.

---

xxxvii. VIATOR AD ITER FERRATILE.

Quidam ascopera instructus, atque sacculo
Includi postulabat, et esse sessilem
Carpento, quod praerapidus vi ferret vapor.
Sero! reposuit claviger, jam singulos
Consignavi et recensui: deficit locus
Continuo adsibilatur sed acutissime
Omne instrumentum machinae motum capit,
Breviterque fumo, conflictuque vectium,
Rotisque paratrepentibus spectaculum
Avertitur praecipitis multitudinis,
Spatium occupante solitudine liberum.
Tunc in clavigerum derelictus invehi,
Querulum qui confutavit hac sententiâ
Fidem momento debitam qui detrahat
Hunc excruciabit semper poenitentia,
Hunc deridebit et fugiens occasio.

---

xxxviii. METALLA ET HOMINES.

Carcere terrarum ibant metalla frigidis
Venis, splendore nullo sub jugo montium,
Aut etiam arenis infuscata fluminum.

Homines rogàrunt, ut collatis viribus
Rudis materiae traherent a farragine,
Hoc et violando penitus naturae sinum:
— Sistite in apricum! faciemus vos aureos —
Successit res ex voto supplicantium
Tunc semetipsam statuens ultricem sui,
Natura derivavit ad nefarios,
Mentes et eorum obscuritatem sordidam
Metallis destinatam ab orbe condito.

xxxviii

ANTISTES NOVITATUM.

Stabat trutinando quid verbis evolveret
Vir praegravatus doctrinarum pondere
Ante juventutem cathedrae devotam suae:
Turbidus erupit tandem in hanc sententiam
Deus est quem nemo novit, et omnes sentiunt:
Deus est gigantum summus, ineluctabilis!
Nos pumiliones æstimamus ab unguibus
Hunc habitatorem caeli occulto vertice,
Hunc infundentem manibus omnia semina
Telluri sic tunicatae, ut caepe maximum,
Hunc conterentem pedibus omnes noxios,
Uvae racemos vinitores ut lacu.
Riserunt juvenes, sibilis sequacibus,
Quos inter vox insonuit — meliorem Deum
Nobis natura, ratio, et conscientia
Proponunt, Christo interprete, et etiam Deo
Patri congenito Verbi de substantia —

xxxix

CRABRO ET PUERI

Crabro irritatus implebat cubiculum
Murmure, certabant pueri sed comprendere
Nequidquam manibus. Adfuit qui diceret
Mel adferendum, quo illi caveat decipi
Genus importunum plerumque susurramine
Sed praepotente stimulo magis incommodum

Liquentis esca inducta sic dulcedinis,
Minore gyro se paullatim contrahens,
Ubi requievit, ibi deprênsus est crabro.
Plures crabronum similes hodie personent
Loca depravato sensu, et usu nominum
Horum omnis ratio pertinet ad pecuniam,
Quæ semel inventa, redeunt ad silentium,
Tunc rerum et veritas luce refulget sua,
Vocabulorum dissipatis nubibus

—

XXXXI AMICI.

Erant unanimes, et concordes sensibus
Amici duo sodalitii sed particeps
Tertius optavit fieri nil feliciter
Invidia folles fidei nam praestantia
Cepit agitare secreto probabilis,
Breviter delicias ejus et consortii
Turbavit, sacramento sanctimoniae
Indigne laeso litteris loquacibus.
Amicus unus una consistit fide
Tertius adscitus raro respondet spei.

ALOIS. CHRYSOSTOMI FERRUCCII

FABULARUM LIBER VI.

IRA.

Ars cum sit vitae passim, adversus impetum
Se continere laesae conscientiae
Recti bonique, re felix iniquitas
Quandocumque, et ubicumque occurrat gentium,
Legendo ne graveris has argutias
Quicumque patiens a chartis feracibus
Mirae levitatis animi medicinam capis
Ab Iro et Iride procreatam dicere
Iram vix dubito per commentum fabulae,
Nominum inescatus ferme consonantia.
Iratos quidnam facit ab ipsa origine?
Male tolerare quod dat iniquis partibus
Fortuna, immeritis decernendo praemia,
Bonis alterius invidere, denique
Sibi metipsi succensere, gravissime
Periclitando capite vel ad insaniam
Pax paupertatis Iris est: hac tessera
Irus in adversis recte prospiceret sibi,
Patiens egendo se cum spe certissima
Ævi melioris ad extremum luctaminis.
Ea sed pax odiis alitur passim tristibus
Indocilitate ipsius, similium et sui,
Quos inter ira qui coram non ardeat
Habentibus rem, magna et vitae commoda
In praesens posse dari, vix ne vix arbitror

I. AGRICOLAE ET ADVENA.

Benignitatem dum naturae rusticus
Fastidit ultro respondentis annue
Foecunditate dabitis laboribus,
Offendit otium in viles negotio
Peregrinarum ex apparatu splendido
Operum. et rerum reduces ad avitam jugerum
Hereditatem agricolae cultu civium
Ibant externas cogitantes machinas
Jamque instrumentis mirabiliter commodas,
Minimo sudore, temporis et compendio,
Impensius laudabant in coetu patrum,
Quos ruditatis, tarditatis, et incuriae
Insimulabant, alacres ad industriam.
Itineris sed comes qui fuerat, advena
Coram incitatis sic instituit dicere
Nos nos avara de natura conquari
Sinite fautores subrepentis otii
Vobis prae machinis felix namque favet Sol
Auctor tepentis caeli, frugum conditor
E succo terrae, dulcis et nutricius
Uvae; malesuadae denique depulsor famis,
Quam deprecamur nos, collatis viribus
Manuum, et ingenii contra Solis inopiam
Angusto gyro, sterilis et vitium soli.

II. NEPOS.

Cerebrosus vir mores a majoribus
Instituit aversari, et rem subvertere
Paternam, detrimento antiqui culminis.
Principio avites aedes, deinde praedia
Infestavit novitatibus ex calumnia
Structurae, et cultus, mox explicuit aggerum
Demolitione, denique pignori dedit,
Contaminavit et nominibus omnia
Venit a remotis aquilonum partibus

Sed Asiatica scaturigine vis turbinis
Et tempestatis, impetu quae maximo
Hyemis aquosae pene deleret statum
Planitiei sic inconsulto liberae
Tunc succurrebat aggerum, tunc providae
Definitionis exultantium fluctuum.
Sera sed expiavit poenitentia
Ille cerebrosus peccatum, domestico
Damno sanguineas heu! rependens lacrymas

II. JUVENES ET SENES.

Accubitione stabant epulari simul
Juvenes cum senibus: quidam sed eorum procax
Tentabat seniorem, indulgeret ut mero,
Se dignum arbitrio proderet et convivii
Bis insanire nequeo, dixit arbiter,
Satis superque comice stultus fui,
Ætate qui tam sera compotantibus
Praeesse videar principalis in loco
Caveat senectus canis erubesceret
Occasiones incurrendo lubricas
Risum ne debeat, observandus qui fuit

III. COMESSATIO ET STERNUTATIO.

Recentiores dissimiles a veteribus
Quod sint urbanitate, possem pluribus
Arguere, sed duobus insisto magis
Manibus illotis, intonsis et unguibus
Passim proceditur hodie ad convivium:
Et sunt appositas digitis qui tentent dapes,
Lingere vel eosdem audaces inter pocula
Cujusque principalis ad mensae vices
Pejus peccari sed notamus in altero:
Nam sternutanti nemo jam fit obvius,
Palam ominando ut sit ei feliciter
Moribus aversis, potius sed dicam, usibus

Animam nunc sensu, corpus et licentia
Nullo nostri contaminent fastidio.

V. CADUS ET CONVIVAE.

Prope secularem famuli portabant meri
Cadum veterari ex intimis penetralibus,
Hilaris qui mensae staret in coronidem.
Elapsus manibus gestientium, vitro
Sed dissiliente, fragminibus implet solum,
Locum ac odore, quam quis alius, optimo
Fraudati raritate sic sublimiter
Decrepita, convivae plerumque vividi
Juventa, deplorabant sic damnum cadi
Nos insensati, qui senectam temnere
Praesentem audemus! ecce quam sapit senex,
Sublatum ex oculis frustra dum requirimus

VI. PATER ET FILIUS.

Puer genere praeclarus a collegio
Redux studiorum fastidire ceperat
Panem, vehementer appetens obsonia,
Coram naturae rationabilis patre.
Hic convocavit villicos ad coenulam,
Quo, praeter panem, et allia cum acetariis
Nihil adhiberent ad sedandam vim famis
Mirifica singulorum ex appetentia
Reconciliatus pani convaluit puer
Tunc pater elocutus: hi sudore de suo
Quem meruerunt panem, contusis alliis,
Tentant permolere dentibus crepitantibus
Nec ego, nec tu, puer, scimus quam dulcior
Afficiant segetes in farina tritici
Est rusticorum id aestimare pro fide
Adaucti nos dominio damnamur pati
Deminutiones in sapore fructuum,
Servis minores, sicut in odore canibus.

Quin temeritate praevalentem ceteris,
Sub specie libertatis et armis deditum
Post paullo rusticantem patruum occupant
Officiosi latrones, ut pecunia
Emungerent rogando, mox violentia
Rei sceleratae quis putaret hunc ducem
Fuisse? ipsis sicariis stupentibus
Eum instigantem, patruo ne parcerent,
Donec nummorum quidquid haberet, solveret,
Mox decernentem partes sociis, et sibi
Adeo praecipitat moris depravatio!

---

xvi. JUPPITER ET HOMINES.

Praetextu libertatis ire perditum
Licentia properabat humanum genus
Juppiter immisit pestem: sed recruduit
In caelum, et Superos ire subjecentium
Juppiter invexit bellum: tunc civilibus
Et pax armata emersit e furoribus,
Manusque rastris ex aratro deditas
Militiae addixit, artibus et letalibus.
Sic, pulsa pube praevalente brachiis
Operum ad laborem, Juppiter induxit famem,
Mortalitatis fierent ut potentius
Memores, qui supra fatum se locant, Jove
Adhuc desiderante poenitentiam
Boum pater fit e septemtrionibus
Statura manifestus non eluctabili.
Date quo procedat! ne natura insaniat,
Superante vi prudentium sophismata.

---

xvii. HOMO ET VERMIS.

Homo, dignitatis ut videretur suae
Conscius, agebat petulanter se passibus,
Indice sermone ignobilis impotentiae
Praetereuntem suspexit ab imo lubricus

Vermis, et — huc te maneo, dixit, proxime
  Mortalitatis fluem indeclinabilem
Siquando vir superbus animadverteret,
Indole composita, fieret injustus minus

---

xvii. **NUX ET CEREBRUM.**

Nux, quia constaret sub rugoso tegmine
Multis ambagibus, et circuitionibus,
Cerebrum aemulari semel est pollicita sibi
Ingenium audierat comprobari quod bonum
A difficultatibus operum, et periculis,
Ideo tenacem nil dubitavit forcipem
Subire: tota laesa sed compagine
Periit, et gutta vix ne vix fluxit olei
  Plures cerebrosi regnum invadunt Ingeni,
Errorum et labyrintho non extricabili
Involvunt se cum sociis, simul et publica
Rerum et privata destruunt arbitria
Injuriosa vi. Sed instant tempora
Justitiae, queis constricto penitus ambitu
Cerebri vagantis, pauci sint aequalibus,
Postgenitis et judicio formidabili.

---

xviii. **MUSICUS ET PHILOMELA.**

Exvibrissando musicus acutissime
Quibuslibet ad extremum cantionibus
Stringebat aures audientum, ut maxima
Contentione dignaretur plausibus
Regina vocum philomela resultantium
Suavitate numeri inexplicabili,
Praesens redarguit contristantem artis bone
Humanitatem gutture temerario
Sed file — sic desiderat, sic petit quati
Hodie theatris civium frequentia
Pax bellicosa tormentorum vi tonat
Nos et imitamur quod amari non desinit

Hoc se tuentur argumento musici,
Hoc ipso litterati per tempus viri,
Hoc et pictores operum sub coloribus,
Et scalpri sub vulneribus vitam marmori
Dare laborantes statuarum per secula
Invitat pretium. Omnis stat pretio machina
Civilis, nec ob honore spes est remedii
Nam gustus verae laudis abest pecuniae

XX. VITULUS ASELLUS ET SUS.

Deliciae ruris vitulus, et pullus asinae
Colluctabantur blande, et ibant calcibus
Ventum impetentes; sus sed ab hara tunc ruens
Repente rictu excepit ictum improprium.
Grunnire laesus acute quam qui maxime
Accurrit rusticus, et incertus plecteret
Quemnam e duobus merito poenae nomine,
Ambos revinctos stabuli addixit carceri;
Sic et compescuit, ludere quo tempore
Solebant, donec plane advesperasceret.
Quidam adolescentes sacro e Seminario
Perorabant adstantes, ut eis parceret,
Ne poenam injuste sustineret innocens
Caussae quid vestrae hic agitur, dixit rusticus
Nec vobis esse indulgens coram Biblis
Possum dissentientibus, qua pagina
Scriptum est, pro peccatore justum percuti
Suum sic ille ferit et hic pulsus malo
Communi, caute in posterum erumpet jocis

XXI. BOVES ET TAURI.

Quaedam est labore utilium natio boum,
Jugo quae docilis taurinum obliviscitur
Genus, atque tauros odit habere compares,
Perinde ac nulla sit eorum communio
Quapropter temperanda haec est opinio

An absque tauris essent ad arandum boves?
Vis est ob illis, fundamento quam dedit
Natura: quod detrahitur, ut fiant boves,
Est e ratione, ut rusticis sint usui
Habere tauros indulgentes si negat
Natura, stulta est ratio quae desiderat
Contra naturam fieri conventu boves,
Tauros et omnes solitudinem pati
Cogi, subjungens foenum elatis cornibus.
  Plerumque ingeniis hic paratur exitus,
Ubi disciplina vertitur in superbiam
Proculcandi naturam eventu improspero.

---

xxii. ASINUS ET MULUS.

Asinus natura mitis in solatium
Pascebat liber herbas exoptabiles
Veris ab adventu, mulus et agebat prope,
Ambo obstinati, tamen hic insolens magis
Idem redarguens, appetitum comprime,
Dixit vicino, temperantia tui
Major ego mole nam juvari debeo.
Quianam? respondit asinus: hic mihi, et tibi
Est quod sufficiat succrescentis graminis
Morsu tu praevalens es, carpe hinc strenue
Absque interpellatore, modice me sine
Pascere. Loquentem mulus adortus calcibus
Herbis abire coegit a communibus.
  Fabula declarat numeris, ignorantiae
Atque ruditatis duplex genus occurrere,
Aut barbariae doctrinae, aut inscientiae
Altera plerumque fit conveniens proximis,
Spem societatis omnem evertit altera.

---

xxiii. LOLLIGO ET LEUCISCUS.

Lolligo pluribus obsoleta brachiis
Contristabatur senio ad oram littoris

Vide p. 49

Serpentis, omnia facere urgentes nova
Eo suadente, nullus locus est ordinis,
Lex caeca debet supplantare nam Deum,
Lis pacem, servi dominos, et ratio fidem
Estote macti! fabricate denuo
Mundum, adjutore nemine, praeter aleam
Casus insanam spem vos vos gigantium
Exaggerate, in caetum jactis turribus!
Omne instrumentum redivivis proponitur
Operi succurret quod diripitur a focis,
Et aris Agite strenue! cur moramini?
Quis aedificat? Plures Quid aedificant? Nihil

VIII. RANAE ET DUX EARUM.

Post longam aetatem, privilegio discimus
Jovis indulgentis accessisse pro duce
Ranas ad urnam liberis suffragiis
Studere partibus ceperunt sed acriter,
Electus ut rediret qui sit mitior
Officio, nec justitiae vindex maximus
Jampridem abactus serpens has ex edito
Qui garrulitate speculabatur fervidas,
Latus mutando immurmuravit — Singulae
Jus garrulitatis quam tueniur invicem!
Praecipuum sed quod habebant, prorsus negligunt,
Nec faciunt libertate, sed licentia
Ac abrogabitur unquam quod sic perditur
Coaxantium inexplebili consortio?
Nec conticescent aurium beneficio
In ventrem altarius ni descendant plurimae,
Ut olim arbitrio, nunc Jovis sententia

SOL ET LUNA.

Fraternitate pueri caelestes duo
Naturae principales, Sol et Cynthia,
Optabant radiis uti pariter propriis

Jam nec nativis, et reflexis invicem
Amor fraternus te fallit, Sol arbiter
Lucis, dixit natura: manus nec dextera
Par est sinistrae, ut ut concursu conferat
Ad integrandum quod consistat culmine.
Amor, ut aequales faciat, indiget fide:
Nec tecum haec habitat, nec sororis est lunae.
Debebit illa tibi nunc, et per secula,
Rerum divina quod debuit ab origine
Lumine reflexum lumen habere de tuo.
Deum nec tentare licet in adversum rei
Sic positae non mutabili sapientia.
 Est feminorum quarumdam spectaculo
Naturae sic se dare sublatas sensibus,
Sperent ut occupare despectam viris
Humanitatem, principatu in litteris
Communicato, et artibus consortibus
Laudo fidentes, multo audentes et magis.
Viris debere se reminiscantur tamen
De costa protoplastis Adae conditas.

---

xl

VULPES ET VENATOR.

Vulpes ut expediret se molestia
Peduneulorum et pulicum, solatio
Corporis ardenti sub Caniculae sydere,
Venit ad aquosum stagnum, ibique dentibus
Pilos detraxit caudae quot florent satis
Condensi, et quos producto nexu tolleret
In altum, eos ut sisteret immunes aquae.
Sic prius udum condidit obversas nates,
Mox etiam costas, et collum cum vertice.
Ascensu rapido concitata natio
Peduneulorum, et pulicum cunctantium,
Certat proluvie emergere subitanea,
Pilorum implendo, donec liceat, aridum.
Adducta re tunc ad malas, et aurium
Summum, restabat illa compilatio,

Quam siccam invasit omnis ea molestia
Sed vulpes totam se demittens illico
In stagnum, dereliquit id, quod dentibus
Diu sustentabat, sospes et abiit hostibus
Internecione perditis aquatica
Venator admiratus hanc sagaciam
Clementer tunc pepercit astutiae nimis.
Mitte indagare, lector, merito fecerit
Venator, nec ne: furto inexplicabili
Nam Lacedaemonii destinabant praemium
Vafer sic rapit animum, si fit mirabilis

XII **AGASO ET PASTOR.**

Cocles agaso mulis utebatur tribus,
Superaret ut cum sarcinis periculum
Vadi palustris: venit ab adverso gregis
Custos alienus, ovibus qui nil parceret,
Una omnes simul ut transitu praecederent.
Anterior mulus interceptus agmine
Earum, verberavit aliquam calcibus,
Inter balantes miseram affecit et neco.
Delata res ad irenarchum est oppidi,
Cujus sententia fuit — Coram coelite
Pecudi nil cavit oculos habuit qui duos
Ideo querelae nullius utibi est locus.
Prudens qui sit, nec civitati consulat,
Hic imperitos delegat ad rempublicam
Nec jure faciet lamentando vulnere
Mox temeritatis, aut eorum inertiam

XIII **CIVIS ET TYRANNUS.**

Quidam tyrannus, (ut in scriptis est) Cinguli
Calumniari instituit habentem subditum
Magnam pecuniae vim inclusam scriniis.
Ideo clamabat, libera insolentia
Hunc in se conjurare, capitis et reum

XXXI METUS ET PAX.

Bibebat auro rex Darius in fuga
Aquam lutulentam, melius unquam nec sibi
Bibisse se dicebat compotantibus,
Alexandrum praecipiens praesentem metu.
Quid adstruat infortunium in periculo
Rerum, occupatis optimatum sensibus,
Potes hinc habere cognitum, ut te contrahas
In pace, studiis et operum pacem colas,
Hanc omni vita custodire pertinax;
Vel si migrandum tibi sit a consortio
Celebri virorum prava disserentium,
Ut inter agnos, et capellas fontium
Illimes haustus diligendo, civicam
Curarum diluas amaritudinem.

XXXII MONS ET VALLIS.

Unguibus invidendo glebae divitis
Mons esse vallem contendebat, fertili
Quamvis amictus baccho, et olea nobilis,
Clivo abdicato fieret ut celebratior.
Interfuit qui diceret: ut te contrahas,
Negat natura, perforari sustine
Visceribus: tunc et vallem utrinque subditam
Æqualem habebis maxima frequentia.
Sic per anatrasim terebratus mons intimam
Cepit moerere derelictus ab omnibus,
Propriam qui fastidivit altitudinem.
Fieri videmus id plerumque perditis
Amore vulgi, qui calcare vult bonos
Genere, et virtute, se si detrahent sibi.

XXXIII ANDROCLUS ET LEO.

Castrorum Androclus Romanorum transfuga
Deserta latebris perlustrabat Africae,

Ne curiosos offenderet incommodos
Venit sub antrum, ubi lamentabatur leo
Mordacem spinam penitus infixam pedi
Sic insolenter humilem ut vidit, Androclus
Processit, et nil trepidus haerentem altius
Detraxit ipsam, vulneris expurgans specu
Sed non effugit Androclus diutius
Extex violentas insequentium manus
Horumdem et laqueis circumventus est leo
Ambo Romam delati pro spectaculo
Steterunt, ut transfugi poenas ederet
Miles sub dentibus intractabilis feri
Memor sed ille veteris tunc beneficii,
Quantumvis stimularet jejunio fames,
Lingere ibi elegit hominem qua se torrida
Senserat exemptum spina, conferissimos
Adversus instigantes mire contumax
Grato animo discant esse, qui schola indigent
Proh pudor! animalium, ut fiant sensu viri

---

xxxv ## OLEA ET LAURUS.

Pacalis olea sub trapetis utilis
Invidia affecit foliis laurum nobilem
Haec icta curo grave subire torcular
Voluit cum baccis plane inutilis suis
Nihil exprimendo tunc contrita — perditam
Me, dixit a favore levis Apollinis!
Belli, domique pacis nescia, jam meta
Triumphi, jam furore volucris ingeni,
Semper adumbrabo vanitatem gloriae. —

---

xxxvi. ## ANDABATAE ET OLLA.

Andabatae decertabant circa fissilem
Ollam quis eorum primus fuste frangeret
Percussam post inutile sed dispendium
Diverberando virium, et imprudentiae,

Cessatum est ollae integritate fissilis.
 Circa instituta veterum lapsu temporis
Homines plerumque sic insaniunt novi,
Donec delassatos superet patientia.

---

xxxvii. ## SEPTUAGENARIUS.

Conflictabantur aetate gravatum senem
Bisseptem a lustris labor, et invicem dolor,
Podagra, et chiragra digitis prope micantibus.
Venit qui misceresceret, et ejat diceret,
Cape spem salutis. Capere, respondit senex,
Qui fiet? nequeo pedibus, si res est salus
Desiderata, pedibus quem sit assequi
Stringere nec passis manibus jam contingeret
Hoc unum faciam quod virtutis est meae,
Patienter quid detrahere annorum injuriis.

---

xxxviii. ## LACERTI ET RANAE.

Ibant lacerti muta consuetudine
Secus oram stagni, dominabus quod subditum
Ranis, coaxantes tolerabat margine,
Easdem et intus aetas refovebat sinu.
Ranas lacerti tunc habere sunt rati
Gutturis argutam vim palude ab intima.
Ideo per muscum, et algas certant ingredi,
Virtutis ubi sonorae fiant compotes.
Fundo sed eos haecentes sic coenum tenax
Constrinxit, inefficaces ut opem vocibus
Ullam implorare, tenebras Orci invenerint.
 Fabula narratur his qui vires ingeni
Esse a favore sortis aliquo, nec simul
Gravibus e studiis, ac disciplinis putant.
Æquare tendunt, indignentur quud sequi;
Gurgitem et inveniunt, dum laborant irrito
Conatu, ingenium ut aestiment ab origine.
Sic inter et elegantes perimi tenent,
Iis multiplicatis qui venantur laviae

XXXVIII. FORTUNA ET MORS.

Regnavit annos octoginta Gadibus
Terrarum extremis princeps Argantonius,
Centum et viginti qui peregit integer
Ætatis annos sine vicissitudine
Fortunoe regno subvertentis, crinibus
Ejus religatis ad columnas Herculis
Mors destinata tandem accessit forfice,
Fortuoem ut scopulis implicatam solveret.
Tunc expilcatus corporis Argantonius
Laqueis, triumphum de fortuna subdita
Produxit heros ad caelestes incolas,
Sceptrum et syderea sede resignavit Jovi
Diuturnitate cumulatum prudentiae, et
Diu memorandum temperentiae metus
  Quicumque currum scandere regalem potest
Sortis agitandum vortice inevitabili,
Ex institutis sapientibus huic ingerat
Frenum et catenas, mox se libret in rotis,
Metus ne fiat ocer, vel temerarius
Amor subjectorum: vigilere nam duces
Vadimonium securitatis est gregi,
Pignus et eisdem diuturnae custodiae

XXXX LABRUSCA ET LIBANOTIS.

Labrusca serpens, et libanotis edita
Eadem de macerie quaerebant oil
Veteris sub aedis contemplantia rudere.
Labrusca, quia racemis sit praestantior,
Jure libanotidem aggredi propagine,
Claviculisque putabat se posse multiplex,
Ope sustentantis ut descisceret a solo
Art libanotis humili praevalentia
Me parce gracilem subjugare, brachiis
Ut exinanita laborentibus cadam
Sine me marino rore conspersam, et meis

Memoria celebres injustitias contrahens,
Pisciculis tot contritis ad fastidium.
Tabescentem haec devexi ab ore fluminis
Leucisceus ut conspexit — poenitentia
Exercet te serotina — dixit: taedio
Vitae putrascis tu, sed innocens ego
Vagor expeditus, et ubicumque tessera
Salubritatis efferor proverbio.
Malignantes conventu carpit fabula,
Quorum est conterere lumine quidquid officit
Nobilis exempli, prosequentur postea
Quod crocodylini lacrymis desiderii

XXIII. SOLITUDO ET FREQUENTIA.

Justitia solitudinem, et frequentiam
Suspendit aequis lancibus: a frequentia
Levitas sed in altum superat, nam confert vapor,
Virtum qui compendio est terra, et mari.
Adfixa fundo solitudo cernitur
Raros habere vigiles in consortium
Quidni? Naturae contemplator, at Dei
Ac unquam usquam habitat in theatris, et foro?
An non est argumenti turba pessimi?
Nullibi locorum et gentium sapiens minus
Est solus, quam eum exercet solitudine
Animum divinae aeternitatis conscium
Cavete falli, juvenes! nam celebritas
Rerum et virorum semper offert optimo.

XXV TOGA.

Ardelio destinatus ad spectaculum
Doctoris laureandi sub ubienne,
Qui declararet, omnibus suffragiis
Adeptum hunc merito quod desiderabile
Honore togae jurisconsultos consecrat,
Desideravit patar, ait novensilis

Utrinque doctor ego quidquid pecuniae
Datum est ad rem solemnitate inutilem
Ubi justae leges vigeant, nequidquam probo
Rectius amàsset me qui genuit, villicum
Habilem si glebis subvertendis vomere
Fecisset Hodie fit ruricolis omnibus
Facultas occupandi quod procacium
Furore litterarum domini deserunt

---

xxvi

ASINUS ET MOLOSSUS.

LATRATU, et saltibus intercipiebat asinum
Molossus importunus itineris comes,
Stimulo, et clitellis additum fastidium.
Venit ad declive patiens aurium genus,
Acer molossus infestabat nec minus,
Dum se libratis sustineret passibus,
Paribus clitellis detrimento ne foret
Tandem molestum a tergo eundem calcibus
Ferratis impetivit, et laesum dedit
Sic, ut agitator claudicantem, et languidum
Longo ejulatu dorso superimponeret
Asini, morosum qui levaret et via
  Natura aut casus ullis infelicibus
Sic se difficiles dant, et intractabiles,
Subeant ut illi taedium, mox taedii
Solvant mercedem, foelis ita ferentibus

---

xxvii

NUBILES RURIGENAE.

GAUDEBANT horto, ut altera succidia,
Ruris coloni veteres sed (domestica
Labes) puellae innuptae oppletum stirpibus
Dederant rosarum, bulbis et comantium
Florum, ablegatis olus caepe, brassicis;
Tum lactucarum in seriem multitudine
Opicus adolescens adfuit, de nuptiis
Qui cogitaret pater ostendit lonsile

Septum, atque interius ver florigerum caulibus
Rem conciliari sic sperabat proxime.
Sed ille cautus, verum quaerere conjugem,
Dixit valentem circa glebas, tritico
Quae sint feraces alternis laboribus,
Et in sudore nil mihi cum mollibus,
Operum levitate quae spem diruant domus
Infecta re, liber sic abiit rusticus
Fabula quid doceat rustici capiant novi,
Periculosum nam fit nubere cienri

XXVII MUSTELA ET NITEDULA.

GALLINARUM pernicies, et trepidatio
Mustela recens a perpetrato crimine
Interrogabat fugiendo nitedulam,
An ullos insequentes videat rusticos
Huic illa naribus cur non applicas tuis
Tuos ipsa oculos? ego si tales viderim
Periclitarer propius habere noxios
Occurrens prima, quamvis longe injuria
Inferior, sed farinae ejusdem particeps
E damnigerulis animal coetus infimi
A latrociniis reduces sic interrogant
Plerumque vel consortes, indole vel pares,
Ut, quam praesentem fingit conscientia,
Eludant captionem consequentibus
Poenis a scelere nec se retrahunt tamen,
Interioris morsus abjurantes fidem

XXVIII BATRACHIUM ET MYOSOTIS.

BATRACHIUM ardebat foliis eminentibus,
Ferente calamo floris plenitudinem.
Sed myosotis huic stulte invidit, et intulit
Sibi vim, ex humili fieret ut suppar, nisi
Æqualis ejus rubicundae praestantiae
Producta caule exiguo tunc tetigit solum

Floribus odorum crescere vicinam tuil
Aderit fortasse qui de ramis rusticas
Nectat coronam viridantibus, et Numini
Imponat tutelari, qui mitescere
Faciat tuorum acerbitatem fructuum.
Fabula manifestat interius quid audeant
Moliri contra verecundam primordiis
Humanitatem rationis temerariae
Fautores nempe ingenium (si possent) humi
Clavis trabalibus adaequatum affigere.

XXXI

FELIS ET CUNICULUS.

Felis voluit cuniculum reprendere,
Quod excrementis non occurreret suis
Haec sepeliendo, male disseminans palam
Sic candidus, sic mollis, et totus teres.
Respondit ille — quod natura fert, ego
Hypocritae clam faciunt, ut diutius,
Et pejus oleant. Nemo zingiberi racai —
Humanitati quid debere feminas,
Quantumvis excellentes pulchritudine,
Adolescentes memorent, ut discupiant minus

ALOIS. CHRYSOSTOMI FERRUCCII

Fabularum Liber VI.

LINGUA.

Delector lingua elixa, quam qui maxime,
Ad mensam, expertus hanc exquisitissimam
Palato degustanti proximam sui.
Hac commode digesta sub meri fide
Fantoniani (*) (cui favere gaudeo
Tamquam cognato vitium Burgundiae)
Linguas despicio criticorum, et impervios
Humanitati litterarum judices
Inambulantes grallatorio gradu
Medium Helicona cum sylvis, et fontibus
Cedo libenter sapientibus, indagine
Tenendum quod minuta sit, post pabulum
Ineptiarum serie praevalentium
Phoebo adspirante cum novem sororibus,
Platonem exosus, ejus et rempublicam
Inhospitalem vatibus, et apertam sophis
Opinionum per commenta noxiis

SISER ET SINAPIS.

Siser sibi visus parce sapere, salsius
Haberi voluit, et sinapis acribus
Invidit numeris, quos ut tenuit, omnium
Vices mensarum fecit e sputismata
Fastidiosas, otiosis dentibus
Natura vult includi finibus suis,

(*) Fundi nempe Fantoniani Laci in Æmiliae agro, cura praecipua Ferdinandi Riccii possessoris, itemque cultoris diligentissimi

Quos si transiluit, fit ridendus arbiter
Licentiosus improbi conaminis.
Constat natura semper eadem sed sibi

II. STERCUS ET UNGUENTUM.

In agricolatione stercoratio
Magni est: nam sequitur felix fructu copia
Longe lateque messium et vindemiae.
Vocant unguentis qui pastillos, et caprum
Olent, abhorrentes ut concilient sibi
Ea sed deficiunt, animos et secum trahunt
Odorum tunc et vitio quod deterruit,
Pejus videtur, imparatis naribus
Aggressione telrum formidabili
Hypocritarum plerumque hic est exitus,
Contaminant qui pascua, viperis pares.
Fugiant qui nolint horum peste corripi.

III. CLAUDICANS.

Brevis pede quidam temporum insolentia
Rerumque turbine publicorum evaserat
Sospes, et honorum compos principalium
Interrogatus, qui potuisset omnia
Servare sarta tecta tot periculis,
Ait, claudicando semper, et post ceteros,
Fervore dissipato, procurans mea.
Ergo civili partium certamine
Discat qui legerit temperare se via;
Praecurrentibus ut eius subeat, et vigil
Quidquid violentis excidit, ipse colligat.

IIII. QUERULUS.

Lamentabatur quidam temporum vices
Mutatas, vitiis praevalentibus palam
Vecorsi eisdem qui nesciret, impetum

Addere favorem sortis, et viro decus
Bene tolerata accedere de calumnia:
Nec essent absque nocte lucida sydera.
  Est odio Veritas, quia vitiosos arguit,
Calumnia sed Virtutis est probatio.

---

v LIBITUM ET LICITUM.

GENUS asinorum sibi tribuit excellere
Artibus ingenuis, exul elegantiae
Suapte sed natura, implevit atria
Longo ruditu, festinante Gratie
Regimen scholarum tradere insolentiae
Breviter ruditus occupavit omnium
Aures, et usu tenuit mox temerario
Dignus videri qui pro norma carminis
Staret, Priapo decernente laureas
Sic pudor abactus concessit licentiae,
Libitum transiluit omnes et licita modos
  Diserius est qui rationibus abstrahat
Rapide, vel addat, mira congruentia
Expensi cum recepto juxta codicem
Pecuniarum Tunc geronum maximus
Qui sit, doctorum summus emicat foro
Nomine mutatis significationibus.

---

vi ACTOR CAUSARUM.

ORABAT causas decoctorum amplissimus
Nomine patronus, sed pecunie magis
Idem expeditus opera sic cepit loqui
Ego indefensos nunquam dimisi reos,
Plerumque victor, nec disertus ob lucrum.
Subrostranus tunc imo de subsellio,
Dives alieni, dixit, aeris ab ambitu,
Non est cur loculis hodie detrabas tuis.
Nemo illibatis manibus tractavit picem
  Genus latronum pessimum est, lues fori,

Avare stirps, illiberalis, impia,
Quae creditores horum, qui debent, manu
Jugulat, debentes et eodem suspendio
Ad assem emunctos adigit mox etiam mori

VII ## MULIER ET SERPENS.

Gaudebat mulier positis constringere
Serpentem exuviis, quem deceperat, novum
Contortus ille, parce, dixit, improba,
Meae novitati! namque annalis exeo
Tu vestibus mutabilis in dies, agis
Versutia quod officiat mirantibus,
Ceu Sol a speculo. Risit contumeliam
Mulier; quievit ejus et serpens sinu

VIII ## INSULAE ET DIVITES.

Spuma genitali Venus erumpens aequoris
Vulcano placuit, qui Neptuno subditis
Ardebat officinis. Hinc libidine
Non usitata terris addidit intimis
Virtutem, ut agerent se superne, tangeret
Et ille Venerem jam caelestem corpore
Sic exstiterunt insulae: sic et mare
Longo mugitu querulum implevit omnium
Aures Deorum, eis intercessoribus,
Jovis adquievit donec in hac sententia
Ut caelum stellas, mare sic habeat insulas.
Quicumque emergunt multitudine divites,
Ipsam laetatu sentiunt incommodam,
Honorum donec titulis hi praefulgeant
Regina vulgi tunc opinio subit,
Quae nobilitatem tribuat insolentiae
Pecuniarum a prosperis negotiis,
Licentioso et statuat hoc dicterio:
— Facit opulentia supra plebem nobiles
Sordet ubicumque virtus sine pecunia —

---

viii **CURIOSITAS.**

Res curiosae dissident ab ordine
Plerumque recto, nec sunt e re publica
Minus in prodigiosis adhuc est commodi,
In rapiditate nec habitat prudentia
Forum ardet plausu, cura turbatur domus,
Fit decolor urbs relaxatis et moribus.
Nam peregrinando tollitur custodia
Privata rerum, detrimento machinae
Civilis — Sic, rusticitas ut locum occupet
Urbanitatis, destruuntur moenia
Urbanitas sed ipsa peccavit prius,
Focos, et aras eadem subvertens suas

x **SOCRATES.**

Verum est quod ajunt, corpus esse carcerem
Mentis divinae magnis dotibus ingeni.
De Socrate Juppiter censuit (ut est in fabula)
— In eo damnetur, ut sit sapientissimus
Hominum, Xantippa conjuge, judice Zopyro. —
Quid detrectatis juga fatorum, viri?
Necessitas est hic, torqueri singulos,
Exeat ut succis virtus utilis omnium,
Exemplo et constet Hercules ope plurium.

xi **PAR AMICORUM,**

Ibant amici duo concordes passibus,
Diversi studiis hic resedit frigidae
In umbra vallis, alter aprica tenuit
Veniens ad summam montis altitudinem,
Uterque minimus et apparebat corpore
Utrique — Cur me deseris? ait infimus
Respondit alter — nemo est me desertior
Gaudes aequalibus tu, sed ego nemine
Ignoscas igitur, obliviscar si tui,

Nebula nam prohibet aestimare, praecoce
Quam factus sis exiguus lentitudine
  Lamentantur plerumque in hanc sententiam
Delusi amicis munere principalibus,
Vellent qui meritis alienis emergere
Sed sors plerumque justa sejungit pares
Commodius invidere est, quam aemularier

XII. PISTOR ET EMPTOR.

PANES habebat pistor intus clibanum
Accessit emptor tollere qui vellet sibi
Pistoris vox insonuit, qui dixit: — Sustine!
Ne forte crudos doleas, vel coctos nimis
  Adolescentium hodierna est insolentia,
Maturitatem qui praevertant utilem
Doctrinis appetitu dentibus impari.

XIII. MOLOSSUS RANAE ET NEPA.

POSTQUAM molossus cogitasset sistere
Latrando Lunam splendidam silentio,
Dormire instituit ad paludis marginem
Sed importuni pertinacia soni
Ranae prohibebant somnum inire vel levem
Quod cauda tegitur insuper et laesit nepa
Quare molossus ejus rostro duplici,
Centuplicatis ranarum et clamoribus
Ictus et abactus, penitus insomnis abiit.
  Haec est sors critici, rationis superbia
Humanitatem litterarum qui velit
Prope subjugare. Fit garrulitas improba,
Necessitatem provocat et contrarii
Est sensus in justitia non obnoxius
Justitiae, compar sed ejusdem, ut pariat
Moribus, ac studiis aequitatem debitam,
Dare se transversa ne progressu sit nepae

XIII. STRUTHIO ET GRUS.

Errabat struthio pedibus arenam notans,
Instar cameli, grus ab usque Strymone
Pede sed in uno consistebat advena.
Venator adfuit: ambos occupat metus
Telluris spatium struthio metiri fugax
Brevibus in alis, et bisulcis ungulis:
Pennarum sed remigio grus contendere
Satis expedita, quo posset periculum
Ridere perstrepentis, dum cavet sibi
Jactis lapidibus stolida pervicacia
Haec est ingenii vis potens eludere
Alarum pulsu, quod ineptos impedit,
Cogitque consternatos udo serpere.

XV. AVES ET PISCES.

Aviculae provocabant pisces aequore
Servantes littus, et cantando liberae.
Passer marinus intercessit, hiantibus
Ilis, illis et cancelibus, alatus gigas.
— Aves procaces, dixit, ad silentium
Redite: nihil est vobis negotii
Cum mutis et captivis longe disparis
Naturae — Peccat, infert qui violentiam
Taciturnitati, vult et omnino loqui
Quos aut inscitia prohibet, aut prudentia.

XVI. SUS ET MUS.

Sus subvertendo terram offendit futilem
Murem, qui rictum arripuit sic tenaciter
Haereus, ut nulla vi jam posset excuti,
Arboris a trunco ni suppetiae tunc forent
Ex humilitate fert plerumque sospitem
Esse, in extremis qui laborat. Discito,

Qui legeris ne graveris te substernere
Vel minimis, ut salutis compos exeas

XVII. ARANEA ET FAMULUS.

Pinguis aranea contextus admirabilis
Opera se mediam sustinebat, pendulis
Cadaveribus muscarum circumstantium
Venit in sublime qui contenderet scopis
Famulus, ut omnes verreret velaminis
Fraudes, opificem et ipsam prostratam daret.
Pede conterenda — parce, dixit, improbae! —
Sed famulus — quam sis felix intus viscera
Opto dispicere tam prolixo stamine,
Quot et causis gavisa sis pinguedinis —
Ait, et in verbo dedit eliam sordibus,
Ut inde exanimem curiose examinet
Hic mos est criticis minime temperantibus
Perimunt quod admirentur postea mortuum

XVIII. SIMIUS ET HOMO.

Haveto, frater! dixit homini simius.
Sed ille: salutatio me diruit tua:
Educ te natibus, ut sis aestimabilis
Quam depilatae sunt, et prorsus aridae!
Idem ambulando genibus inversis uteris,
Compactam et seriem vertebrarum sic trahis
In longum, ut cauda corpus excedas tuum
Ego loquor lingua, tu sed gutture strepitas.
Fraternitate convenire me tibi,
Nec vult natura, nec fert conscientia.
Vale, animal! nasute minimum, astute et nimis,
Contubernalem quaere per sylvas mihi
Tecum nec est, nec fuit unquam cognatio.

XVIII

TEMERARII.

QUIDAM poetae deceptores ordinis
Splendore principalis in urbe propria,
Torquatam gemmis invenerunt feminam,
Vitro mentitis unionibus et gravem
Confestim amplexi (credo, pro Polhymnia)
Certabant expoliare multitudine
Mendaciorum crystallis micantium,
Gaza politi leviter aestimabili
Ea tunc querela erupit. — Stulti! parcite
Vobis nocere, me dum re dissolvitis
Quae vos, et artem vestram mire sustinet.
Opinione nos consistimus pari,
Quae si deficiet, sequitur contumelia
Vulgi, contemptu pejor post fastidium.
  Est circulatorum quod it Orbis circulo,
Dum sint qui circumsistant agiles manu,
Saltare irrequietos, et vi Stentorea
Clamore, subsequentibus miraculis.
Totum id nugarum quod compendio placet,
Opinione sustentatur, quae palam
Praestigiatorum si deridet virgulam,
Actum est rei de summa delectabilis
  Rex et poeta proxime eodem culmine
Sunt nobilitatis et scientiae, fide
Ac fama ejusdem frondis imperatoriae.
Qua spes fit res tebenda. Praeminentiae
Sors ipsa sic est patiens, et fortis Fides

XX

GALLINAE ET OVA.

QUIDAM patricius vir terebat temporis
Horas, alendo gallinarum corpora
Peregrinarum, quas vocabat nomine.
Adfuit amicus, unam qui reposceret
Tot de gallinis: sed negavit hanc dare
Patricius. Ovum tunc amicus autumat

Facile impetrare duplicata instantia
Respondit alter — omnia debentur foro —
  Haec litterarum sors est venalitia,
Servire populo dum jubentur ordines
Disciplinarum urbanitate principes.
Odisse vulgus, laus erat cum gloria
Apud majores est recentioribus
Amare vulgus nominis sollemnitas
Humanioris. Si respicias exitum
Plerumque laevum similis indulgentiae,
Vulgus amatum Erisichtona fame
Ovo, et gallinas devorare intelliges,
Opera, et scriptores gurgite meremonii

---

xxi. APER ET PORCUS.

Venator aprum fruticeti mortuum
Trahebat unco. Vidit rictum et extulit
Illo vix grunnitu lutulenta inertia
Porci, praeterea coeno tota immobilis.
  Ingenii nimium cicuris haec est denique
Conditio: stupet et aerumnis impervium
Dormit ahenis, excitatur nec aliquo
Rusticitatis, nobile ut evadat, impetu

---

xxii. PINUS ET VIMINA.

Spirante vento, quam par sit, violentius,
Ubicumque sistant, pinus edunt sibilum,
Fremunt et irriguis vimina convallibus.
  Communis populi, et procerum fit turbatio,
Intemperanter utitur si legibus
In summo positus, peccat et insolentia

---

xxiii. COLUMBA ET VIATOR.

Columba errabat destituta compare
Adfuit eundo qui — Quo tendis? — diceret

Cave, plumbo quos instruit venatio
— Quid tum? respondit illa: nil moror necem
Qualemcumque, undecumque. Eis parcentibus
Me nam conficiet plane infelicem dolor —.
  Valete exempla desiderii! Nuptias
Viduae plerumque cogitant hic alteras

---

xxiv. PAPILIONES ET APES.

Rosetum floribus ardebat meridie.
Hos papiliones, et apes inclementius
Habebant pariter osculis, et aculeis.
Hinc utilitate mellis, inde et impetu
Amoris importuni praeter ordinem —
  Opinionum commenta simul ac exeunt,
Metuque primo libera se vulgarium
Coetibus insinuant, simili feruntur modo.
Exaggerant loquaces, et super his fremunt
Tumultuose praevalentes partibus
Adversis Opportune tunc viam secent
Ad metam astuti, potiuntur qui commodis

---

xxv. RUSTICUS ET NUMMULARIUS.

Nummularius ad mensam fenoris sedens
Stabat pallore infectus carcerario.
Rusticus advenit rubicundus et ab area
Multum torosus. Nummularius tunc — vale!
Dixit: quid est quod facere in gratiam tui
Possim? — Cavere, te ne febris occupet —
Respondit alter: nam valetudinarium
Arguit te facies a colore cerea.
Nimis otiaris forte aucupio pervigil
Denariorum: mihi sed mercenario
Sudor diuturnus redit in succum, et sanguinem —
  Discant crumenae minus inservire tumidae
Quotidie augendis qui vacant pecuniis,
Habeant et esse sanos in caput lucri

XXVI. **CAPUT ET FIDES.**

Caput utebatur duplicatis testibus
Auditu, et visu judicans de singulis
Circa se rebus, aliqua sed fallacia.
Sagax ut fieret, intercessit culmine
Nasus speculator, odore qui pericula
Praecipiens admoneret de naufragio,
Opinionum scopulos et syrtes cavens
Fides sic esse cepit mentis arbitra,
Et melior dux civilibus negotiis.
• Fidem nemo unquam amisit nisi qui non habet.

XXVII. **LINGULACA ET LEPAS.**

Regina copiae, si placet, piscariae,
Voluptas et mensarum agebat liberam
Se lingulaca per aquarum pericula,
Verriculis simul et nassis insidiantibus.
Decepta tandem cogitabat egredi
Tentando frustra retium foramina
Lepas haerebat positis juxta cautibus,
Risit et habentem libertatis praemium
Captivitate sic exitio proxima
Æstimet ardelio quanti sit se sistere
Immotum mediis fluctibus agitabilis
Opinionum vortice multitudinis

XXVIII. **SIMIA ET HIRUNDO.**

Insidiabatur parvulis hirundinum
Simia sperabat occupare quos semel
Nido devexos alis infidelibus
Ideo suspiciens ipsa, intemperantius
Adulabatur profuturis dentibus.
Interea concacavit oculos desuper
Enixa mater quod eosdem det perditos. —
Sic inhiantibus aliena fit, damno gravi
Aliis ad facinus, et scatis carentium

---

xxviii **BUFO ET PHILOMELA.**

Narrant qui se vidisse testantur nefas
Tumidi bufonis detrahentis ab arbore
Debentem fascino philomelam tristium
Oculorum acie, Solis reflexo lumine
Quam miserum est carmen declinantis ad rubos
Ubi causa mortis latet inevitabilis
Venator explicavit ictu perfidum
Insidiatorem. Philomela revalescere
Visa est: tamen vocalis evasit minus. —
  Mos emendatus quantumvis vertat bono,
Praestat tueri a teneris innocentiam

---

xxx. **VENATOR ET FULICAE.**

Venator algas superans venit ad locum
Refertum fulicis impetrantibus ab Jove
Pluviam. In conspectu earum clam dum constitit
— Ecce ego nunc faciam de fulicibus aquilas —
Dixit, et admisso cane, coegit singulas
Tollere volatum, et interfecit plurimas.
  Mediocritati qui promittit sydera
Studio poesis, aut falices lauraas
Phoebi, plerumque subdolus negotium
Ruina ingenii curat, et facit suum.

---

xxxi **NOCTUA ET TROCHILUS.**

Sublimis baculo, calamis circumstantibus
Fallentia visco gestiebat obsequi
Cuique volatilium impensa noctua
Vivax oculis sulphureis, et collo teres
Trochilus accessit huic — caveto, Palladis
Dicebat ales, tu qui minimus es, dolos
Virgarum positos! Sint aucupio volucres
Majoris alae, temere illudentes mihi
Hinc sospes abi sepibus et oceultus tuis

Tuere libertatem angustam circulo —
Nulla est in studiis adolescentium salus,
Quos perdit indomabilis arrogantia,
Artibus et litteris dum rident quod ordine
Disciplinarum rigide ad metam dirigit.
Migrant ad pueros spes melioris exitus,
Quorum aetas impietatis non sit habitu
Contaminata, nesciat et superbiam

XXXII SCIURUS ET TALPA.

Irrequietus oculis sciurus, et levi
Cauda increpabat talpam subterraneum,
Quia supplantaret brassicas cuniculis
Ego, talpa dixit, versor per cubilia
Mese potestatis tuta solitudine
Quidquid diruitur supra, nil refert mea. —
Sic progrediuntur hodie studiis dediti
Doctrinarum omnium, qui radicitus inferunt
Vim disciplinas veterum, adiutantes sibi.
Quali proposito, testatur licentia,
Quali salute, judicabunt posteri

XXXIII LACERTUS ET FOENISECA.

Tondentem falce prata somnus occupat,
Foenum meridianus dum Sol excoquit.
Irrepit anguis dormientem laedere
Paranti viridis sed lacertus antest,
Ut det jacentem adsibilando exspergitum
Monitus a somno monitorem crudeliter
Arreptum permitit intercluso spiritu —
Mos est hodiernus succensere vocibus
Censorum incommodis, quas juventus excipit
Contemptu mortis simili, bene si colligas.

xxxiiii

CAMELOPARDALIS ET CERVUS.

Modicis cornulus se camelopardalis
Confert ad cervum, petit et quod superfluum
Cornibus haberet. Negat hic detrahere sibi
Alterius commodo instrumenti quid sui
— Nec ego, nec tu, dixit, mutaremus animum,
Ideo quod armis fieri nos esset pares —
  Doctrinam pueri persequuntur in scholis,
Quam sibi videntur impetrare a lexicis
Certatim impleti verborum farragine,
Pensis et insudantes infelicibus:
Nec ideo ingenii vim (natura si carent)
Unquam adipiscentur perditi laboribus.
Fulmen de caelo, fulgura sunt a nubibus.
Splendore delectatur aetas pessima,
Deducens ad humum ingenium formidabile
Laudum esca dulci, proprio et meretmonio.

---

xxxv.

PULLI GALLINARUM.

Pulli eruditi sub gallina evaserant,
Legendo rostris quod sit exquisitius
Esca sed uti dedicerunt unguibus.
Ideo multiplicatis a pediculis
Deplumes implorabant quod pruriginis
Vim temperaret Adfuit qui diceret.
— Sit reditus ad naturam gallinaceam!
Omnes inevitabili sterquilinio
Unguibus agendo, simul et rostris, vermium
Infesta vobis profligate semina —
  Matribus hoc dictum est, fastidire quae colo
Deducta pensa telas ad domesticas
Suadent puellis ut doctrina prodeant
Imbutae, prae librorum insigni copia
Voluptatum magistra discrepantium
Natura ingenua Gliscit ardor in dies
Discendi: pietas infirmatur, ac pudor
Dos cum virtute pretii incomparabilis

XXXVI. ## LACERNA ET SPINAE.

Homo lacernatus callem spinis horridum
Tentabat, easdem scindens ad fastidium.
Ideo lacernam cessit infestantibus,
Majore damno affectam ne secum trahat.
  Hic feminarum est mos vel absque tessera
Meretricantum: discerpunt quos diligunt.
Magnum est, si fugiant sospites, utcumque vacui.

XXXVII. ## FICUS INDICA ET MESPYLUS.

Fructus agebat Indicos ficus hispidos
Spinis, edendos digitorum periculo.
Mensis exclusa patriis, quamquam gratior
Sapore, mespylus has querelas edidit:
— Quam miseri sunt, et fatui qui me negligunt
Vulgarem, inermem cortice consentaneo,
Peregrinitatis prae gustu fructiferas! —
Spinas si reputat, quis non abstineat manu,
Quis non coerceat appetitum incommodum?
Voluptas si labore sit parabilis
Ac pretio, fit plerumque morsu noxia.
  Multum monendis hoc proponitur domi
Libidinosis, qui difficile, et asperum
Barbarie gaudent anteferre litteris
Amoenitate gratis, et nostratibus.

XXXVIII. ## TELLUS.

Benigna tellus, quid non addis villico,
Qui liber a forensibus negotiis
Subigat aratro te, verset ligonibus;
Herbam frumenti tueatur mox sarculo
A lolio et tribulis, et lappis, et carduis?
Nunc parcere est inepta misericordia,
Quin et damnosa, stirpibus nocentibus,
Hordea ne sit grandire sulcis edita,

Mediocritatis sed agant intra terminos.
Circa instituta litterarum nec aliter
Habent se res e paupertate fructuum,
Ratio si campi transfertur ad scholas

BREVITAS.

A brevitatis me defecisse regula
Notant plerique, et arguunt legentium,
Nec faciunt hoc injuria Videant tamen,
Necessitate id agere me novissima
Disciplinarum mutabilium tempore
Nemo nam monitis, sicut antea, ducitur,
Rerum ratione sed perspecta vult trahi,
Fidem negando, donec obsistens potest,
Invitus ut recipiat quod prosit minus,
Aut arrogantia disceptandi, nihil

MISSIO.

Evanuunt res, quae culmine necessariae
Possint videri Me sub exitum libri
Sors occupavit, et dotinuit poculi,
Materies vitro fragilis quod plenum mero
Tulit minutis dissilire partibus,
In eo cum foret ut biberem, dilapsum manu
Hoc ego perculsus casu, sine praeconio
Famae futurum me, perspicue cognitum
Habeo: nec tamen absisto, pro coronide
Operis, ne ponam hic praevalentem injuriis
Animum plerumque recti conscium sibi
Nemo prohibebit naribus odorem meri

ALOIS. CHRYSOSTOMI FERRUCCII

FABULARUM LIBER VIII.

AD PHILIPPUM *pronepotem.*

PRAECOX ingenio puer, et virtutis ad augmen
  Contendens studiis religione pari,
Hunc habeas, magni monumentum quod sit amoris,
  Quantumvis parva mola libatus est.
Proximus hic matem adfectat, demissior alis
  Quam mihi proposui vel bene, spe vel ea.
Judicium de re venturis edere posthac
  Fas erit: at nunc te sic adamare licet.

I. FAMA HODIERNA.

FAMA quid est hodie? Tabula est quam naufragus audax
  Fluctibus in mediis arripit, atque regit.
Corpus ibi atque animam pro viribus illa tuetur,
  Omnibus et Superis se vovet, atque Deo
An non inveniet portum? Tria sydera monstrant
  Luce immortali Spes, Amor, atque Fides.
Ultima, quam primam posui, tamen est, et habetur,
  Prima salutari nam fit Amore Fides.
Qui timet, ante oculos exaggerat ille pericla.
  Fert confidentes Musa, vetatque mori.
Quo statuat portu, vel littoris hospita terra,
  Ignotum est. Spondent Dii meliora piis.

II. MORS MAGISTRA VITAE.

INSILUIT cathedram Mors, et gravitate docentis
  Haec ait, aut rauco promere visa sono est.

Fila, super telae nunquam revolubilis orsa
  Currite Parcarum deproperata manu!
Dat fusos emuncte colus vertigine plenos
  Praerapida: fusis addite, fila, decus!
Tollite, fila, decus fusis vice semper eadem!
  Feri opus id, donec licia sustineant.
Licia si desint, nihilominus altera telae
  implenda est series: altera vita subit.
Currite, fila! student homines praevertere nunc vos
  Delassare putent me quoque messe mea.
Machina multa vorat spatia, instigante vapore
  Corpora vivorum machina multa necat.
Quatenus est, homines, vos insanire licebit?
  Plectere militiam praecoce supplicio;
Pluribus abrasis, patrimoni effundere summam
  Vitalis, sensim quae minuenda foret?
O ubi nam Phalaris qui post mugire Perilium
  Cogitur, ardentis victima venire bovis?
In pretio nunc sunt rapidae instrumenta ruinae,
  Et quae dent pessum millia multa virûm.
His tamen iuvenlis vos, prodiga stirps animarum,
  Vultis adhuc dici de sapiente nota
Jamque sepulturae caesorum a grandine plumbi
  Terra deest. Subeant ejus ad officium
Humani cineres! maleficia cadavera posthac
  Testentur quali turba furore furit,
Naturam quoties vult conculcare, nihilque
  Ducere quo vivit, ducere quo moritur

---

xl

PANIS.

Dimittens panem puer ante obsonia elstil;
  Ex his quod placuit, postulat atque dari
Proponens panem rursus, rursusque noverca
  Impetrat, hunc aliis rebus ut anteferat.
Fleverat ille puer, qunc vir satis usus avara
  Sorte petit panem, quem parat arte labor
Gaudet eo invento, vitans obsonia, ni sint

Alia cum raphanis, quos leve vulgus amat
Sed sic liber agit, fit liberiorque nepote,
Qui disclnctus avet perdere quidquid habet,
Et vice mensarum medio inter pocula, vitam
Sobrietate carens invidet ipse sibi.

FUMUS ET VOX.

Fumus erat quondam res sordida vana rotatu,
Nunc furor in cursu est, impetus atque fugae
Vox, et pellis homo fuit antea *vappa* vocatus
Nunc cutis est aliquid, nec leve vocis opus
Nam per ephemeridas longe, lateque resultat,
Omnium ut auriculas impleat, atque animos
Tunc audent homines sperare quid esse, et haberi,
Cum per ephemeridas de novitate latrant
Justitiae, et Legum, de Religione levande,
Denique de vitae liberiore modo.
Haec est quae dici possit contagio vocis,
Omnes quae numeros ebrietatis habet.
Sic etenim incendens aliena sitire coëgit,
Ut jam sordescant interiora domus

FUTILITAS ET UTILITAS.

Fronde virens arbos fit inutilis incola campi,
Non secus ac radix ariditate latens
Deme quod aestiva passim delectat ab umbra,
Frondis honor densis vermibus esca cadet,
Lumbricus invadet radicem plurimus imam
Jam nec erunt fructus ex utriusque statu
Haud aliter ratio ingenii levitate laborat,
Quae sit ab eloquio luxuriosa nimis
Nec minus arguitur de futilitate, profundam
Se si, talparum more, modoque gerat.
Editione operum quod si fert praecoqua fructus,
Nil minus abludit fine magisterii.
Urget adulantum nam turba, ut futile fiat

Utile quod justa debuit esse mora
His animadversis, sed nil pro laude futura
  Seponunt homines, quod probet aequa dies,
Quamvis laetitiam fugitivam saepe reducant
  Ad mensas vinis de seniore notae.

---

vi. MOS VITAE HODIERNUS.

VITA theatralis prope risu res fuit olim
  Digna, sed in pretio est nunc, et amatur agi
Spectâclis alitur plebs, quae sine pene vigescit,
  Ferme oblita sui, plausibus, atque jocis
Invadit nocturna diem petulantia morum:
  Blanditiis matres, officiisque patres
Provehere instituunt, quod sit, venientibus annis,
  Dissidium prolis, moxque ruina domus.
Troja ruit! Quod equo prorumpat fraudis, abunde est
  Perdunt se cives, et patriam igne suo.

---

vii. MANGO.

FRIGORIS ut fierent venalia mensibus, ova
  Mango reservabat condita calcis aqua
Quotidie quanti prosterent, mane rogabat,
  Et quum speraret se mage proficere,
Arripiens tempus momentis utile, venum
  Protulit in vulgus bina, quaterna fori.
Testabatur item molle hoc, bene sorbile et illud,
  Ac si gallina tunc data matre forent.
Venit qui timuit ne deciperetur, eodem
  In verbo pretium constituitque tribus.
Sed duo deficiunt contusa: putamine laeso
  Nam retegunt pullos, non sine fraude, duos.
Argumenta doli restabant tertia. Mango
  Dimittens pretium tunc dare terga foro
Adstantûm sed turba sequi convicia jactans.
  Ille tamen regerens, in nuce pejus habet

Emptor, ait, nec succenset, si cassa sit nila.
Conscius anne ovo venditor ejus inest?

VIII. DISCIPULI ET GRUES.

Currite, discipuli tenet omnes ardor: eadem
Contingit vobis nec tamen ire gradu.
Hic praeit antevolans, subit aemulus unus, et alter
Plures dissimili pone sequuntur ope
Non dicam ingenii, sed vi constante laboris,
Esse voluntatis qui solet altus obex.
Hunc velis, et aequis superata timete pudorem
Extremi (namque est nullus honore) loci.
Observate grues, longo quas ordine ducit
Una prior, qua sit frigore tuta salus.
Sola fides agiles facit omnes pone priorem
Fidita ab ingenio cui magis aura favet
Hocce propagato studiis procedit amore
Una omnes proprio tempore meta manet

VIIII. DE AGATHARCHO ET STILPONE.

Quidam dives homo curis vexatus amaris
Esse diu solum vix tolerare potest.
Insomnes ducit non aequo sydere noctes,
Corpus et impastum versat in omne latus.
Rus habitans amoena locis facit esse vireta,
Vitat enim Solam, nec tamen umbra placet.
Insimulans Agatharchus opes, quibus ille redundat,
Tristitia, occurrit cuique proinde macro,
Vellet eum et pinguem fieri, sibi deditus ut sit
Turpis adulator, vel parasitus edax.
Stilpo super mensis violentus scurra secundis
Cuncta dedit pessum pocula cum patinis.
Increpuit dominus, mox ipsum fuste dolatum
Terga per et scapulas jussit abire domo
Scurra sed excedens. — jam non sanabilis es tu,
Quod poteras sanum te daro, risus erat.

x.

RUDIMENTA.

Si possent homines aperiri corde, animoque,
  Ut circa libros fit, satagente manu,
Cura magistrorum in pueros minor esset alendos
  Virtutum exemplis, indole perspicua.
Sed varium genus inque scholis, perque atria longa
  Alterum ab alterius labe venena bibit
Ne sperate malos consortia casta bonorum
  Esse bonos facient, et pietate pares
Marcida mala bonis confusa liceat er eodem
  Si statuat cophino, quis meliora refert?
An non scis ines potius marcescere coget
  Quae bona sit temere juncta fuere malis?

---

xi.

CONTAGIO SENSUS.

Pulvere contrita, aut foliis arentibus usta
  Nunc (ignota prius) nicotiana placet.
Destillata fabis Indorum potio, glandis
  Et puis Mexicae saccara mixta gerens,
Utraque fusca suis elementis, quia et umera
  Nunc nostros usu quotidiana tenet.
Nocte die fumo inficimur satagente veredi
  Partium, et officii prae novitate viae
Et dubitemus adhuc natura pene subactos
  Nos alienigenûm, moribus atque suis
Quid dabere pati sensu quod aberret avito,
  Et cordi infusam fellis amaritiem?
Quod peregrino mero, et dapibus fert mensa, videmus.
  Inde et desipere est ebrietate peri.

---

xii.

ANTLIA ET SITULA.

Antlia fonte scatet: situla est quae parca ministrat
  Inde. Quis imprudens, ut bibat, iatrat equam?
Disce schola, puer, imbutum prodire modesta
  Doctrina, ne te proluat hausta via.

---

xiii. RARA AVIS.

Scriptorum in genere est omni nunc copia rerum,
  Verborumque minor cultus ab arte scholae.
Regina it ratio properanter tollere fructus
  Ingenii; mites nec sinit ille dari.
Constant cuncta lucris, et eo velut angue catenae
  Circumplectuntur corde pudore levi.
Aut etiam nullo, sic ut graviora professus,
  Posthabitis nummis, rara sit Orbis avis.

---

xiv. MYSTERIUM VITAE ET MORTIS.

Ossa mori, atque solo seri, in cineremque reverti
  Mors facit, ut vitae sint alimenta novae.
Campus hic est operum variorum termine nullo.
  Aura supervolitans spirat ab ore Dei;
Fert et inexhausta vice corpora lucis et umbrae
  Esse, nec esse diu, visa perire semel,
Rursus et alterius sub imagine vivere formae,
  Debita sed morti, post breve tempus, atrae.
Ventus inaequales cumulo sic mutat arenas
  Quaerat, et ignorat qua ratione sophus,
Et sciat ignorans, agitante pudore superbo,
  Esse Deo similem se, neque posse parem.

---

xv. ALEA ET VIRTUS.

Alea nudavit plures, ditavit et allos.
  Damna, et dona videt qui sapit, atque cavat.
Ulli nam perdent cito quod dedit alea: plures,
  Quae non restituat, quaerere semper erit.
Exspoliata bonis Virtus it ad aethera: nummis
  Immemor astrorum fit, neque spernit humum.

---

xvi **DE AMPHITRYONE.**

Audax jejunos inter tigrim, atque leonem
  Ante horam pastus se locat Amphitryon
Quid caussae est, quo sic mansuetos possit habere
  Carcere conclusos, immemoresque sui?
Aut amor, aut timor est: potius sed amore futurae
  Carnis adulantur sic sine fraude viro —
Haud aliter qui sanguineo de fenore vivit,
  Mulcet luxurie, quam voret inde domum.

---

xvii **FIDES.**

Barba senatoris non observata profano
  Caussa fuit meriti, magna Camilla, tui
Te duce, Romanis quod contulit Ardea rebus,
  Vivit adhuc fama, splendet et historia:
Exemploque docet, patriae quid amore, metuque
  Possit propositi vir gravitate tenax.
Invidiam qui viemis detraxit, ut essent
  Romani columen nominis, atque salus,
Saxa movere loco, vel flumina sistere posset
  Sic virtute facit firma valere fides!

---

xviii. **AMOR ET MORS.**

Eva soror moriens — amo te, fratercule, dixit
  Caelestis flam, jam nec amabo minus —
Suscepit vocem exiguam, lacrymasque rependens
  Flevit Abel, subita tactus et invidia
Optavit, tenuitque mori post funus amatae.
  Caelestes fieri sic meruere simul

---

xviiii **PHYLLIS ET MEGISTUS.**

Phyllis ab intorta, vel recta cuspide habebat
  In seriem varie quas adhiberet acus
Magnete admoto instituit turbare Megistus,

Quin et correptas vortice ferre sibi.
Obstupuit, mox indoluit de crimine Phyllis
Visa subirasci Parce, Megistus ait:
Exemplo audaci nam noscere gestio, reges
Quomodo tot vacui nunc ditione sedent.
Fecit id admissi virtus violenta vaporis.
Res mihi perspecta est. Accipe rursus acus

XX. COPA ET FARTOR.

VENUM danda foro lucanica more catenae
Pendebat, lauro circumeunte, palam.
Vidit, et acta fame spondet dare copa vicissim
Vina, quot in pretium mercis abire queant
Fartor ait: res est peragenda: sed opto, bibaci
Arbitrio ut faciam, copa gulosa, sitim.

XXI. TEMERITAS ET PUDOR.

T. Sume! P. Nefas, domini nisi sit perspecta voluntas
T. Sume quod invitat sponta suapta capi
Nemo vetat: satis est. P. Nolo. nam judicis uter
Arbitrio interius, qui negat esse meum.
T. Tollere nil dubito mihi, me sine lege juvando
Jura paris. Dominum quid facit ante pares?
Adfectare prius manibus, raptoque potiri. —
Arbore sic pomum detrahit alterius,
Impatiensque vorat temerarius. Ille venenum
Concepit pomo, diriguitque Pudor.

XXII. TESTUDO ET AMICITIA.

EST in amicitia quidam testudinis usus,
Dum cavet, et tarda se ratione gerit.
Fervet enim ex notis meritis, coalescat ut inde
Pectoris alterius pene sacrata fide
Oscula junguntur nunc millia millibus extra,
Ac si consistant omnium in ore favi,

Intus agit sed felis atrox vis. Est ab amicis,
  Qui se dissimulant, pessimus urbe status.
Tolle, puer, grande hoc monitum, servare fideis
  Condit amicitiam lenta fovere dies.

---

xxii. ANNULUS ET CONDULUS.

Ante scopas, circumque nuces nova nupta parari
  Viderat, ut mos est rusticitate vetus.
Ipsa ingressa domum sed conjugis utraque risit
  Despiciens, socru torve tuenta nurum.
Ast ea praetendens digitos, hic annulus, inquit,
  Quid cunctatur iners, solus et officio?
Condulus accedat: suere est mihi dulce, meumque
  Jungere quas telas des, operosa socru.
Condulus optat acum, sed acus compendia fili
  Adde: pares erimus sic in amore domus.

---

xxiii. GLORIA ET HUMILITAS.

Gloria magnorum pellex augusta virorum,
  Quando erit ut fias nota colore doli?
A splendore tuo spes altera, et altera crescit
  Vincendi exemplis omnia nobilibus
Interea dum tu longe, lateque coruscas,
  Adversa insurgit nubibus Invidia:
Teque tibi objiciens speculo fugienta refringi,
  Aut hebetat visu, decipit aut facie.
Ebrietas laudum facit hinc te mentis egentem,
  (Sydera deberi dum tibi forte putas),
Inde parem populo, qui caeca nil timet uti,
  Mox inferre audet culmen heriie luto
Qui sapit, esse humilem studet, et sibi consulit umbra
  Cantus, ut adveniens nil agat Invidia;
Aut ea judicium meritorum obliqua moretur,
  Ne quis praevertat posteritatis opus.

XXV.

SUFFUGIUM.

FABULA gibbosi generis conficta licenter
  Ad risum visa est, ludibriumque mihi,
Donec ego adveni regionem floris amoenam
  Multiplicis cultu, lubricam et insidiis,
Hospitio injectus montano, tempus aquosum
  Nubila dum subitam tolleret ad pluviam.
Ecce gemens occurrit anus sub pondere gibbae,
  Gibbus et inde senex: jamque sedere putans
Sàt bene substratis pannis, dormire jacentis
  Offendi gibbam sàt temere juvenis.
Tunc ades a stabulo velut admoniturus ineptum
  Podicis errorem, gibbe bubulce, mei,
Dum tua gibba soror saccis jubet accumulatis
  Haud importuno me recubare loco.
Affer aquae cyathum potabilis, o bona Baucis —
  Nil habeo quod agam — scabra reponit anus.
Flisce nepos, jam tu limum properabis ab haustu
  Exterior putei. Gibbus et ecce puer
Post paullo ingreditur, cyatho dum garrula mater
  Supponens patinam fert aliunde domus
Spectandam angustis humeris et pectore gibbam.
  Proh scelus! hic incoles montibus impositos
Constipat fortuna mihi salebrosa, dierum
  Atque salebroso me misere insequitur.
Interea fit anus, clivosa utrinque, patrona
  Pincernae pueri pro gravitate sitis,
Hunc mihi et insinuat, laxa qui sponte crumena
  Solvebam nummis quod satis esset ei,
Nec fortasse aviae, vel avo, aurum, atque bubulcis,
  Proxime ab officii sedulitate sui
Nummatum aggressi: nam omnes me quisque trahebant,
  Praeter humi positum stertere adhuc juvenem.
Sole sub infuso, foliis et rore caduco
  Ipse abeo, risum fronte genisque ferens.

———

122

xxvi.

MANTICULARIUS.

ÆMULA Mausoli dum vult monumenta videre
  Contemplator hians ore, oculisque Criton,
Machinulam, horarum indicio quam torque ferebat
  Implicitam aurato, fur tacita eripuit.
Sensit ut ablatam, dubitat sibi, mox etiam illi,
  Quem secum adduxit significare, Criton.
Dum trepidant, mulier subit implorare petulca
  Unde alat infantem, quem fovet ipsa sinu
Aure Criton laesa, vel damno turbidus, inquit·
  I! mihi quod raptum est, hoc tibi munus habe.
Ostia servabat puer ales praepete furto,
  Auditoque, Criton voce quod extulerat,
Adfuit, et — mater, donum tibi defero — dixit·
  Te dominam dominus fecit ab arte mea.

---

xxvii

TEMPUS ET INGENIUM.

TEMPUS edax justis spatio distinguitur horis,
  Utile ut officiis nocte dieque fluat.
Ingenium rebus sic convenientor agendis
  Impertire virum, quem sit habere, decet.
Saepe premet, raro stimulet; trahet atque minores
  Exemplo ad vitae nobilioris opus.

---

xxviii

LIS ET AMICITIA.

LITEM, et Amicitiam posuit duo semina rerum
  Principia Empedocles, unde creata vigent.
Vita salutari effectu natat inter utrumque,
  Prout agit ardoris spiritus igne sui.
Qui caret hac flamma, torpet, semperque jacebit
  Temporis, et casus hic nihil ante mines,
Atque pericla valet, vel vult virtute valere,
  Omnia damnatus vulnera ferre lapis

---

xxviii COQUUS ET SCRIPTORES.

Sal, piper mirorsum, quae sunt elementa culinae,
  Quidquid et ex acido est, quidquid et ex oleo,
Congerit imprudens, neque digerit Osirega, summum
  Esse magisterium qui crepat arte coqui
Nec satis est operi: concurritur undique adactis
  Vel rumore fori, vel novitate dapum
Omnibus una fames. laudant, solvuntque libenter
  Pro male digestis quod queat esse minus.
Inde favor Similes hodie sunt archimagiri
  Hujus scriptores assis amore rudes.
Editione vigent operum, venalia ponunt
  Quae minimi, magna fertilitate lucri.

xxx. AMOR ET ODOR.

Dic mihi quid sit Amor? puer a ratione petebat
  Matris at haec contra: dic mihi quid sit Odor?
Senilio, quod nunquam fuit edere quid sit, habenti
  Sal operum in vita est: tolle, beate frui.
Abde sinu, vigil et tibi custodire mamento!
  Huic struit insidias Orbis, ut inde necet.

xxxi. OLOR ET APER.

In stagnis cunctatur olor, moriturque canendo
  implet aper sylvae proxima cuncta metu.
Quis putet in medio te sistere velle duorum,
  Rossini Jóachim, dulce sonante lyra?
Nempe ut apri evertat virtus tua blanda furorem,
  Et siringat numeris voce quod edit olor.
Sic oh! sic fierent humani denique sensu,
  Quos inopes animi civiens ardor agit,
immemoresque facti pacis, qua cuncta vigescunt,
  Ut sit compositia vivare dulce viris
Vincere nec sperent nebulosae somnia noctis
  Laetitiam cordis te mediante melos

xxxi

HONOR ET VIRTUS.

Conjugio Virtutis Honor solet ire superbus
  Dum dormit Virtus, sed temulentus Honor
Migrat ad ancillas, domini sub luce micantes
  Quae forma, at numeris esse videntur heram
Hoc vitio demissa lues infecit ubique
  Scamna gubernaclis edita sub solium,
Quo regina sedet Virtus, et sospes ab umbris
  Obtundit radica conjugis ipsa sui.

---

xxxii.

MALUM PUNICUM.

Indicium est regni, quam Punica mala coronae
  Culmine sustentent horridam acumulibus.
Heu! quianam, granis siquando rubentibus urgent
  Tégmine discluso se magis exserere,
Ipsa corona brevi gyro disrupta secatur?
  Non aliter regum suspiciendus apex,
Siqua unquam dare se subjectis corde benignos,
  Alloquio faciles, molliculosque velunt,
Ipse fatiscenti similis dissolvitur ultro,
  Deficiensque suae stirpis honore cadit. —
Regia majestas nisi justa timetur, amatur
  Æqua sed aequanimis rex male sede sedet,
Nam subvertit amor libratas pondere lances
  Inter anhelantes spe, trepidosque metu.

---

xxxiii.

GRATIA
ex statua Cincinnati Baruzzii eq.

Gratia sum: Charites capio tres unica sensu:
  Corpore, mente animi, cordis et igne triplex.
Obtutu, verbo, et gestu mirabilis omni
  Infra me quidquid vertitur exhilaro.
Nec Dea, nec Nympha hic sub marmore vivo, Dearum
  Nympharumque comes libera, tuta dolis.

Officeret mihi majestas si Diva fuissem,
Simplicitas Nymphas detraheretque mihi.
Cypridis invidia Psychen dixere subactam
Frustra me, Nymphas quae subigo, atque Deas
Sum leve quid, rerum quem dicere possis odorem.
Mille sunt florum, quos sine honore teras,
Nam sine odore comas extollunt saepe superbas.
Esse superborum nec solet ulla Charis.
Sed rosa flos humilis super omnes regnat, ut ullis
Exeat e spinis, quae videantur Amor.
Quod nisi sunt tales, certe sunt spicula Amoris
Haec et ego exacuo Gratia cote mea.
His studet, haec recipit, licet experiatur amara,
Omnis amans, veneris mobilitate suae.
Sume rosam, contracta mei compendia sumes.
Nam commendat odor, sicubi laedit Amor

XXXV. DAPHNE IN LAURUM.

Casta loqui Daphnen confusam stipite lauri,
Dicere nil opus est. stringit Apollo comam,
Praetereaque nihil, poscam nisi fronde coronam,
Quum semel induta est arbor honore novo
Haec est, quam vati proponit fabula formam,
Ut desperato discat amore frui,
Immortale decus sibi conserat atque sub umbra
Ejus, quae praesens ureret igne suo
Sensus hic ad partes totius pertinet Orbis.
Omnibus est etenim gentibus unus Amor

XXXVI. VIS DOLUS.

Vis, Dolus errabant animalia bina per Orbem,
Humanum implebant et genus omne metu.
Jupiter haec cauda conjunxit, et addidit iram
Tunc et homo nodo sassilis incubuit.
Donec anhelando diversam attingere metam
Haeserunt caudis Vis, Dolus implicitis,

Se libravit homo, delphini more natantis,
Pinnarum opposita mobilitate levem
Verum extricatis post secula nexibus illis
Caudarum, exiliens Vis stetit ante Dolum,
Dixit et obverso coeamus, frater, in unum
Sic, ut sis pugnax tu, nec inermis ego.
Pax armata feret facie nos semper eadem
Prodire, et certum rebus habere lucrum
Si velit insidias quis declinare, jubebo
Ipsa subire tuas sospes ab ense meo
Siquis agat, laqueis hunc tu capere memento.
Inter nos medius sic homo servus erit.

---

xxxvi MYRICAE.

Flexibiles minime quod sint habitare myricae
Optabant humiles editiore loco,
Palmarum aequales se duritieque, putabant
Obsequio dignas esse, et honore pari.
Arbustis praestat (qui diceret, edfuit ullus)
Sed non arboribus vestra propago tenax —
Discant vulgares spem circumscribere coetu,
Ne sit ab invidia quid capitale pati.

---

xxxvii ARANEA SCARABAEUS ET BOMBYX.

Quaeris sublimes cur semper aranea telas
Instruat, et mediam se locet inter opus,
Sed scarabaeus agat concludi mole rotunda,
Non secus ac bombyx carcere sericeo.
Evomit, et gracili pede nectit aranea nodis
Rete patens, positis excubat atque dolis
Ardet, anhelanti similis, genus omne minutum
Muscarum filis illaqueare suis.
Captat, et emuncto circa se sanguine gaudet
Aligerùm exuvias enumerare leves.
Expers alarum nam vellet aranea cunctas
Esse sui aequales, propterea que necat

Haec fraus invidiae est, si mos refertur ad illos,
Qui misere exanimant partubus ingenium
Sed bombyx opifex, scarabaeus et alter ab illo
Ambages septi multiplicare solent,
Quo quisque obscurus feliciter induat alas,
Denique posthabita mobilitate pedum.
Haud aliter certant mediocres ire gradatim,
Dum, bene libato fonte, poeta volet.

---

xxviiii

CAPRAE.

Obvia capra fuit nimis improvisa sorori
Hic ubi se torrens major agebat aquis.
Pons angustus erat, nec habebat utrinque, duabus
Obversa incolumes quo forei ire via.
Altera decubuit tunc corpore, proculcari
Alterius patiens praetereunte pede.
Utraque sic tenuit, qua pergere vellet, abire,
Difficile astutis atque peregit opus.—
Judiciis qui contendunt plerumque sinistris,
Discant hinc juris quid minuisse sui,
Exempli laqueis rabularum ut, pace sequestra,
Curent unanimes seque, suasque domos

---

xxxx

NOX ET DIES.

Nox data tranquillae post pensa diurna quieti
Optavit curis esse operosa semel
Somnus et invasit provectae jura diei,
Ex horis aliquot quae minor esse tulit,
Mox etiam medium fieri proflantibus illum
Tunc natura virûm semisopita fuit
Somnia corripuere fidem producta theatris,
Ut totum falli, et fallere vita foret
Emendatius est nisi mos hic, nox et iniquis
Includat spatiis invidiosa diem,
Vita breves haustus ut lucis, sic et habebit
Pacis, inexpletis exagitanda dolis.

ALOIS. CHRYSOSTOMI FERRUCCII

Fabularum Liber viii.

EXPERIENTIA.

Esse experientes rebus, magni ducitur,
Legendo, et audiendo dum consarcinant
Opes ad agendum, sicubi fert occasio
Sors experientes sed eludit aemula
Virtutis, infidelis expectantibus
Plerumque, et improvisa negligentibus.
Quare si rex evadat figuli filius
Qui sit, vel solio destitutus exulat
Speratus haeres titulo ac jura sanguinis,
Nemo desiderat operam experientiae,
Licet inexpertus audiat, et artis rudis
Regnandi, qui succubuit adversariis.
Fortuna, et Nemesis nam Fatorum sunt rotae,
Nulla est et vis consilii post res editas
Pari praecipitio, sed dissimili vice.
Calliditas in successu posita est: imperat
Sed sors futuris, quae facit praesentia.
Sic experientes qui dicuntur, autumo
Cycnorum similes esse, quorum cantui
(Quem nemo audivit) omnium suffragiis
Æterna laus tribuitur excellentiae,
Tenent nam melius canere, dum sperant mori.

AMOR ET LEX.

Quatenus insanae malesano murmure turbae
Optabunt leges, scriptaque jura dari?

Lex si amore caret, nulla est, pejorque timore,
  Siqua sit, evadet, semper amoris egens.
Divino intuitu sed fons est ejus amoris,
  Index quam Christus fecit habere fidem
Utilem apud gentes vitae simul atque salutis
  Nulla salutaris lex sine amore fuit.
Siquis — ama legem — tibi dicat, habebit an a te
  Ferre minus gratum legis amanter onus?
Nulla quidem ratio suadebit, id esse et amandum,
  Quod toleratur. Inest vis etenim imperio,
Non sensus, qui sic laesus desciscit ab illo,
  A gremio matris ceu puer ictus abit.
Jam nec — ama matrem — tibi dixerit ullus, amare
  Nam natura docet, sensus et antevolat
Praeceptum, liceat praecepti si dare nomen
  Huic, quae stat pietas indita visceribus.
Lex in honore jubet sed haberi utrumque parentem,
  Vivus ut obsequio se manifestet amor.
Omnibus officiis sociabilis ut sit honeste,
  Exemplo interius consolidante domos,
Exteriusque bonas statuens frequentibus urbes
  Civibus ejusdem sorte sodalitii.
Ecce tibi ratio ingenii capitalis, ut omnes
  Perspectum hoc habeant, praecipueque sciant,
Nullibi conventu civili aequabile foedus
  Posse dari, Jesu si pietate vacet.
Legis amare jugum, Cruce servos pergere, coram
  Fratribus esse humiles, omnia sunt ab Eo.

II

MEL ET FEL.

Qui sic instituunt pueros, ut melle favorum
  Quotidie apponant simplicitate cibi,
Insinuant quod alat mores cum pace modestos
  Proposito sancto, religione pia.
Felices nimium pueri, pariterque magistri!
  Si foret hac pura vivere posse dape

Ui digesta juvei, sed fel hbare necesse est.
  Prudentem hinc fieri fert sapientis opus.
Ars hodie summa est sic fel infundere meili,
  Ui speciem vitae sint documenta scholae,
Discipulique geroni se cautos enie malignum
  Agmen eduientum Congrediuniur enim
Officiis, secum ui rapieni, peccare peritos
  Ei faciant, simui ec deseruere domum,
Impliciiique malis curis cepere forenses
  Esse, et luctari clamque, palamque dolis.

---

ul VITIS ET ANUS.

Vitis aprica diu stetit ustis palmite gemmis,
  Nequidquam implorans dulce levamen aquae
Tandem etiam pluvia emicuii sub Sole refecta:
  Plurimus emergens jamque racemus erat.
Sed Ligurina morae impatiens per grana minuta
  Errabat digitis, impia diripere,
Ingerere aique gulae. Manifesto carpis acerba:
  Rusticus increpuit Quid iibi? dixit anus:
Cras moriar jejuna, hodie sed recreor istis
  Altera tempestas forte perempta darei —
Ima aetate senes fecit imprudentar habere
  Se domina ingluvies perniciosa sibi,
Invidiosa rei, fideique, speique nepotum,
  Exemplo infausto comminuente domos.

---

ml UMBRA.

Umbra rei res est. Damnosa calumnia testis
  Esse potast, dubio vel temerata fides
Et damni, et dubii statuit praesentia rem, quae
  Plus nocei effeciu, quo minus ipse patet.

---

v. SECTATORES PARTIUM.

Hic duo sunt fratres, ratio quos publica vitae
Diversae curam partis habere tulit
Concordes in amore domus, gravitate tuentur
Hinc inde adserta, se, bona, resque suas
Ille quod alter amat, studiis odisse videtur
Omnino oppositis, insequiturque probris.
Alter, inexpletum querulus, quod ab ordine, et usu
Provenit antiquo, vult novitate quati
Nil medium hic: ambos sed vectigalia torquent.
Hoc pax in puncto est: arcta crumena facit

vi. CALUMNIA ET CARBO.

Quid sit, amas dici tibi, fraude Calumnia tecta,
Quae miseri infestat nomina clara virum?
A Carbone paris rationem sume, modumque
Quod non urit atrox, inficit ille nigro
Infectum aut ipsum recoquit sic caerula flamma
Invidiae, fiat purus ut inde cinis.
Post paullo sed habet cinis a candente favilla
Quo nitide emergant nomina laesa virûm,
Sicut et purgati mansuro lumine Veri,
Ut solet insultans ex adamante jubar

vii. CEPHALUS ET PROCRIS.

In Procri Cephalus dubitabat habere fidele
Conjugium: hinc stulto tentat amara metu.
Audivit tandem quod non voluisset ab ore
Comparis illius, quae sibi fida nimis
Re, minus esse tamen visa est spem noctis adepto,
Invasor thalami qua foret ipse sui
Quam male mens hominum sibi gaudia menta sinistra
Praeparat a laesa lege, fideque tori!
Dulcia peccando quae sunt magis arte scelesta,
Fraude et adulterii, quaeris adhuc? Cephale.

Idem deflebis tua perdere, teque metipsum
  Artificem fieri mortis ob igne tuo,
Interfectorem fideique, speique, reique,
  Omnis in unius conjugis usle sinu.

VII. KAROLUS V. IMP. ET FERDINANDUS CORTEZ.

Karolus, imperii quintus gravitate, libellum
  Tendentem Cortez supplicis ore videt;
Immemor et lateris petit a custode quis esset.
  Tunc Cortez magna voce notandus ait:
— Ille ego sum, adjeci tibi qui tot regna, quot urbes
  Hispanas, generis sorte ferente, tenes —
Sustinuit vacuus dimitti a principe Cortez,
  Nam sunt, quos gratos esse in honore pudet.

VIII. PASTOR ET APES.

Pastor habebat apes, alio transferre coactas
  Quas vellet, resono sed facli aere vagas
Sic misere amittit spem mellis, amore carentes
  Inconsultus apes dum putat esse loci —
Nos rapimur sensu, ratione tuemur inani
  Irremeabilibus quod trahit omnia equis. —

IX. FELIS CANIS ET FAMULA.

Felis adulando famulae sua pensa trahenti
  Singultat cauda, prosubigitque solum
Alternis pedibus, gremium mox insilit ejus,
  Dum sedet, et fuso tortile stamen agit
Latrat ab adverso canis, infestatque cubantem
  Molliter, invidia tactus acerba iuvens
Hunc famula avertit, sese testata fidelem,
  Ut canis, ei nullos felis habere dolos. —
Mitte quod ambiguum est in dictis, respice facta
  Haec etenim sapiunt, verba sapore carent.

XI. COCHLEA TROCHLEA ET ARATOR.

Cochlea deducit per opertam turbine spiram
 Cunctantis stagno quod nocuisset aquae.
Perpetuos haustus demisso trochlea fune
 Per situlam illimi sufficit e puteo
Inde superba strepit. sed arator utrique propinquus,
 — Comprime te, dixit, cochlea praestat enim, —
Quae praeit officio: puteum contagio stagni
 Proxima corriperet, ni prohiberet opus
Ejus anhelantis. Felices sunt mihi messes;
 Antea nam lolium perdere, cura fuit. —

XII. SCIRE ET SAPERE.

Scire quid est? rerum seriem cognoscere: habere
 In promptu quod opus tempore sit, *sapere* est.
Sunt scioli plerumque morae sapientibus, obstat
 Quaerenti portum ventus ut inter aquas,
Aut ut remigii vox importuna, procaxque
 Ante polo intentum per maris alta ducem.
Hi sentire Deum nil curant, ille superne
 Se regit, et medius fluctibus implet opus
Omne, vel invitis sociis, quos littore sistat
 Denique sollicitos, spem superante metu
Addita haec est laesae fidei vel poena, vel angor,
 Ut sine laetitia sit gravis ipsa salus.

XIII. AURA ET AURUM.

A Jove, vel Musis est aura, et pondus in auro
 A Plutone grave est inveniente diem.
Paucos aura levat, plures industria pulsat,
 Addictosque lucris implicat invidia,
Diffingens muto civilia jura duello,
 Et statuens Aurum religione deum.
Vertitur in plumbum fumi vis omnis ad aram
 Ejus, et adfixus spiritus haeret humi.

Qui fit avaritie, ceu per deserta negatis
  Officiens morsu frigidus anguis aquis.

XIII COLUMBA PICA ET CORNIX.

Alba columba solo milli disperso legebat
  Semina. venit edax pica, deditque fugae,
Participem nec eam passa est optabilis escae,
  Imbellem pulsans garrulitate sua.
Gaudentem justa plus parte sed aemula cornix
  Occupat, excludit, semen et omne vorat. —
Nomine justitiae sic lites fortior aequat,
  Et raptum tollens vi, sibi jure tenet

XV PISTOR ET PASTOR.

Pistor pane levi, pastor gaudebat habere
  Lacte novo, braviter quo gravis aere foret.
Mane vigil cum merce sua veniebat ad urbem
  Is, panem et referens, lac dabat usque recens
Ambobus longe processerat absque querele
  Res: sed utrinque male perdita fraude fuit.
Alter aqua inficiens, externa fruge vel alter
  Naturae quod erat simplicis atque bonae,
Intulit heu! caussam fierent quo praeter honestum
  Discordes animi, destruerentque lucrum.
Nam pax in lucro est pars maxima. Deme labori
  Consilium pacis, fit sine calce domus

XVI SUBULA.

Subula parva feror, sed acuta crapidine sisto
  Omne genus hominum (quod potest esse) sua
Nec crapidae sine me fierent, nec calceus iret
  Cum pede, nec soleis quod legit ima pedum .
Tantula fine meo sum, me tamen insero rebus,
  Consuo cognati funiculique fide —

Pergite, discentes, ab acumine mentis haberi
  Doctrinis habiles, vosque probate bonos.
Sed sine funiculo studii, quod abundat amore
  Exemplaris, erit stringere forte nihil.

---

xvii. TRIGEMINI.

Tres pipere incensi, sale, seminibusque sinapis
  Quaerebant aliquo fonte refrigerium.
Hippocrenaei venit unus ad ostia rivi,
  Proluit et totum se, retulitque sitim.
Castalios latices petit alter, at asse salacem
  Plus tenet, eructans probra loquace gula.
Dum sibi pro remedi spe tertius implicat angues
  Fonte Medusaeos, ebriolate furit.
Turba tribus trahitur lymphatis, laude sequace
  Cauponae, atque fori, perniciéque scholae,
Hic, ubi stant Musae, divexatumque queruntur
  Artis opus lyricae, Maeoniumque malos.

---

xviii. LYDIA ET ALCON.

Stringit acu telas, auro ut distinguat easdem,
  Stamen et insinuat Lydia versicolor,
Lydia sic callens Phrygiae quod dicitur esse
  Artis opus, pictis ut det habere modos,
Atque fidem veri. Videt Alcon quomodo telas
  Transadigit peritens, nobilitatque soror,
Nec tamen esse sibi didicit patienter agendum
  Sub disciplina praecipientis adhuc,
Et spinas tolerare scholae, scuticaque pudorem
  Expergefactum vulnere desidiae —
Sunt animi resides, et inertia pectore corda
  Compungenda diu, semina ut eveniant
Germina doctrinae, quam nunc quoque dicimus auro
  Ire parem, Italiae continuatque decus.

---

xviii

INGENIUM ET ARS.

Ingenium fieri, nemo est qui dicat, ab Arte.
  Naturæ erumpens nascitur, atque volat.
Vestiet Ars nutrix, si conciliare sit illud
  Eloquio, numeris compositumque dare.
Rhetoris hoc opus est, humanum moribus esse
  Discat ut, edomitis viribus, ingenium.
Tunc imitatores ciat, exemploque supernas
  Evehit ad sedes, unde venire fuit.

xx

AVIS AD VISCUM.

Viscum experta tenax, ales per gramen agebat,
  Virgula, quae pennis haesit, eratque moræ.
Namque trahabatur quocumque venire fuisset,
  Aeris at liquidi spe prohibebat avim.
Virgula detracta est, jam nec magis illa volabat:
  Pestis enim visci continuatur adhuc. —
Disce libellorum commenta cavere, juventus,
  Fraude mala calami damna parata tibi!
Una salus fugere est: pix alis lenta nocebit,
  Siquis perspectos quaerat habere dolos.

xxi.

FOSSOR AD LAURUM.

Dum studet interius cinares removare, fimumque
  Fossor humo, qua se prospere laurus agit,
Invenit vermes stultusque putavit, ibidem
  Radices lauri vermibus esse pares;
Nam semel audiarat lauros a stirpe loquaces
  Posse dari — Vivae vocis origo patet! —
Ergo exclamavit: vermes et habere canoros
  Dicebat notos, quos pede laurus stat. —
Turbe capillaris studiis tibi cantat aedon
  Stultitiae genus hoc, fabula ni satis est.
Radix ingenii latet intima semper: ab illa
  Aut sonat, aut loquitur spiritus osor humi.

Ecce super vermes stupet indagator acutus
  Radices vatis quas putat esse sacri,
Mox de vermiculis jactis fora germine sperat
  Vatum. Ridiculam remque labore gravem!
Dat Deus ingenium, profert natura quod infra
  Qui temere indaget, laesus ab igne redit.

---

xxii. **AMOR ET FUROR.**

Est in amore furor. Mouet hoc, semperque monebit
  Vir juvenem passus vim, seniorque virum.
Sed juvenis, vir, et ipse senex, quis credet? eundem
  Nil cavet, ut monitor sit, monitusque redit
Ad furias sub corde graves, a mente feroces
  (Hanc invadit amor, se nisi corde cepit)
Fit fuga spes remedi. Furere est plerumque juventae
  Sors, jactura viri, perditioque senis.

---

xxiii **FARTORUM PERITISSIMUS.**

Principianus apud fartores culmine gaudet.
  Suffragantur ei sus, aper, atque caper,
Dicerem et, ex aliqua tenerescens parte juvenca,
  Si fartura daret nósse quod intus habet.
Sed sic comminuit, sic ille tomacula miscet,
  Nulla ut judicio sit mola dente premens.
Inferior stomachus, qui tot suffragia captat,
  Attamen admonuit, quanta sit arte manus,
Qualis et esca cibi doliturae immaniter alvo —
  Plerumque effectus fert mala lingua pares.

---

xxiiii. **VENTUS ET REMUS.**

Navis it usa meri: ventus rapit impete magno:
  Remus ad optatum fine sed urget iter.
Natura trahit ille suam, vi retrahit artis
  Remus, ne scopulis laesa periro ferat. —

Nupta viro mulier se sentiat esse regendam
Indocilis perdet se, thalamumque suum

XXV. SALVIA ET ROS MARINUS.

Salvia fert foliis quod sit candore pruina,
Quod sit spuma sali rosque marinus habet.
Sed sapor esse gravis solet omnibus, ut sit eorum
Gratus odor. — Rapiunt sic sibi vera fidem
Praecepti rigida virtute, at pondere verbi
Sed mellita placent, ut bonitate juvent.

XXVI PARIETARIA ET ADJANTUM.

Parietis ad summum saliens tulit herba videre
Adjautum puteo semipatente virens.
Risit, at increpuit — Nigris quid ab artubus obstat,
Ne prodire palam te sit honore comae? —
— Me gero demissum (resonavit ab arce rotunda)
Respondebit hyems proxima, vappa, tibi. —
Qui nimis alta petunt, sine prosperitate redibunt,
Tempore mutato, concipientque gelu.

XXVII ASINUS ET DOMINUS.

Illud ridendo est (Heraclitumque moveret
Ad risum) ex asino quod fuit aspicere
Hic phaleratus heri pilentum molle trahebat,
Et gressus glomerans prorsus equester erat
Detractis phaleris, amplectebatur amice
Plaudantem pectus, nomine frater, eum
Fratris et ad nutum vidi se ferre metipsum
Arrectum, sed mox anteriora pedum
Sic improvise demittere, sic et acerbe,
Imos ut digitos laederet ejus heri
Magna querela fuit lacrymosa dolere sed uxor
Quod decurtari vir pede possit adhuc

Tundere mox asinum, male, post alimenta, locatis
  Et de blanditiis insimulare virum. —
Discat, delicias in vulgi ponere amore
  Qui solet, a stolido gratia semper abest.

XXVII. VERTEX ET VORTEX.

Pulsus aqua lapis urgeri tolerabat arenis,
  In sicco et positus despiciebat eas.
Improvisus adest Notus, arbitrioque jacentes
  Excitat irritans, exagitausque diu.
Vortice turbineo sic tandem exercet, ut omnis
  Ille sepultus eat vertice, mole lapis. —
Hoc caput esse rei, discant quicumque laborant
  In summo: ventos exanimare fide,
Justitia premere, et fieri sic aequore reges,
  Æolus ut clauso carceris ore solet.

XXVIII. ALFRIDUS REX ET FURES.

Alfridus rex, edomitis latronibus, auri
  Armillam fertur proposuisse palam.
Haec intacta metu stetit omnes ejus in ennos,
  Conflata in nummos inde rotare tulit,
Invitatque malos etiam nunc lubrica fures. —
  Sors regni in partes sic resoluta perit.

XXX. SIMPLICITAS.

Quid sibi vult mulier, quam rore corona marino
  Distinguit, lentam gramine propter aquam?
Hinc cibus est agnis, et potus ab ubere vena.
  Custos Simplicitas haec dat habere suis. —
Quam multi se destituunt, aliena petendo!
  Stultus homo immodica spe sibi semper obest.

XXXI. LATER ET STRUCTOR CAEMENTARIUS.

ÆDIFICATOR erat Genua vir notus in urbe,
  Cui foret augendae maxima cura rei.
Fragmenta hic laterum occursu quocumque legebat,
  Quotidie solitus accumulare domi.
Quidam ex ardenti laterem fornace recentem
  Attulit, in media proposuitque via.
Ille palam solitus redivivos inter eundum
  Tollere, nil lapidis prae novitate sibi
Temperat a manibus: digitis sed debuit ustis
  Tradere dimissum coctile rursus humo.
Riserunt cives, et porticus utraque risit.
  Ipse loqui prudens, nec doliturus ait:
— Res ita semper eunt! miscentur frigida caldis:
  Frigida qui novi, nunc quoque calda scio. —

XXXII. CAUSSIDICI.

ACTOR caussarum jactabat habere disertam
  Ex anima linguam nobilitante forum.
Dixit in adversum sistens: — Tu maximus ille es,
  Si pretium stagno dicere rana potest.
Ima palus alit ardorem quo rana coaxat:
  Nostra palus est hic litibus usque putris.
Nec mea, nec tua jam refert ornare quod obstat
  Pacis consiliis, et male semper olet.

XXXIII. DUO CAECI.

LIS acta est caecos memorabilis inter egenos,
  Quodam dante obolum, qui sat utrique foret.
Esurit hic, sitit ille: venit qui tertius esset
  Arbiter, ex obolo prospicit atque sibi. —
Sic rursus patuit, discordes inter habere
  Rem, qui sit judex, reque vacare duos.

xxxiv ANGUILLA ET ARMILLA.

Flexibus innumeris anguilla lacessere tendit
  Armillae portu sesquipedalis opus.
Haec immota lacu stat ferrea, fitque phaselis
  Tempestate aliqua funa tenenda salus.
Invidiam vellet sinuosa anguilla movere
  Haec ait — ad libitum te violanter age!
Denique cessabis: sed inanem viribus ipsam
  Littus ad invisum te levis unda feret. —
Omnia nunc motu nil proficiente trahuntur,
  Gyrus et est gyro semper ubique minor.
Tandem etiam sistent: nec de molimine tanto
  Quid, nisi curarum cura superstes erit

xxxv FELIS ET PISCES.

Pisciculos vitreo virguncula carcere alebat,
  Auri, atque argenti versicolore nota,
Exacuensque famem super illis felis amatae
  Monstrabat, qualis praeda videnda foret,
Nec tollenda tamen crudeliter, atque secanda,
  Ut fieret cupidae nobilis esca gulae.
Felis adorta semel captivos ungue, sed unum
  Eruit, et dominae detulit ante pedes
Haec furit; illa suae trepidat vix conscia culpae,
  Distulerat toties quas stimulata nefas —
Rectius avertet pueros praeceptor, eosdem
  Quam vetito admoveat, vim doceatque mali
Quippe negata famem incendunt. Sit sospes, at insons
  Discipulus, minima cognitione luis

xxxvi EMPEDOCLIS CREPIDAE.

Empedoclis crepidas fertur placabilis Ætna
  Ignibus exhaustis, avomuisse semel
Illae crepidae sic concretis haesere lapillis,
  Ut fierent latebrae, prorsus hiante sinu

Nidificavit ibi positis feliciter ovis
  Noctua, tutela Palladis aucta Deae,
Et piceos oculorum acie tulit agmine gnatos
  Sulphuris in gyro, qui bene nocte vident,
Et mala nocte canunt: nam gens inimica doceri,
  Palladis ex ira, voce lugubre sonet —
Hoc dictum est illis, quorum doctrinae laboris
  Indignatur opem, discipulique jugum.
Est caput in nebula positum, qui nesciat intus
  Dicere quae teneat germine clausa suo
Namque caret lingua, sermonis et arte diserti,
  Quam dat longa dies, et studiosus amor.

---

xxxvi **VIS EXPERS CONSILII.**

Vi leo quantus adest! tamen hunc constringit, et angit
  Spirali serpens robore terribilis —
Consilii prudentiâ acumine diruitur sic
  Fortis homo, invictum quem tuba mole canit.

---

xxxvii **FRAUDULENTIA.**

Verba dedisse homini velandis sensibus, atque
  Motibus in clausa pectoris arca Deum;
Invaluit sermone novo, conclusa scholarum
  Per loca, tonstrinis et celebrata fori
Ex hac doctrina quid profecere recentes?
  Odisse alterutrum, decipere alterutrum.
Diligere alterutrum voluere expungere, amorem
  Nempe relegantes ad rude stirpe genus.

---

xxxviii **DUPLEX FAMA.**

Fama mala insequitur famosos: aequa pudicos
  Vult ea sub plumis sponte fovere suis
Vivant obscuri, infames patiantur haberi
  Invidia indomita, perfidiaque virum,

Semper erit post fata quies, laus, denique vitae
  Lux nova Sic phoenix alter ab interitu est
Sic trabs mersa mari, eveniens super enatat illo,
  Subjectis oleum sic et inerrat aquis

---

xxxx STRUTHIO ET PELICANUS.

Quae disclusa dabit Sol ova, recondit arenis
  Struthio securus sed pelicanus alit
Progeniem sub tecta suae de vulnere venae
  Nec dubitabit inops sanguinis ipse mori
Struthio quos peperit, satiabit glarea pullos,
  Durum opus heu! stomacho, grata nec esca gulae
Struthio corde vacat, pelicanus abundat et illo
  Hic praeit exemplo solus, at iste trahit
Secum imitatores corde obdurare professos,
  Devolosque lucris fenore sanguineis
Quisque angusta coilt cellis, augustus ut inde
  Prodeat a nummis, sitque rigore lapis —

---

xxxxi CYMBA ET NAVIS.

Cymba biremis habet portum, quo remige cessans
  Navis inoffensis conciliatur aquis.
Fune tenebantur pariter venit impete ventus
  Terribilis, cymbam qui levitate cavam
Cassae more nucis, lateri dedit ejus acerbe
  Allisam, damno per loca tuta gravi —
Ne sit amicitiae procerum confidere plus quam
  Fert opus, afficitur namque labore minor
Par age cum paribus Sint qui grassentur in istos
  Obsequio, ne sis naufragus ipse, cave.

---

xxxxii. FLOS ET RADIX.

Flos habet imperium radicis, namque sub illo est
  A radice tamen flos alitur per aquam

Ipsa bibit quod fiat odor placiturus in ulnis,
  Rore superfuso, mane recente, levi
Plurima stirps udum quod sit, non quod sit odorum
  Capiat, et in forma dormit, hisque sua. —
Ire homines ratione pari plerumque videmus
  Hic scatet ingenio rarus, at iste caret.
Hic amat, iste timet sapit hic, stupet iste, doceri
  Vel si quando velit, disputat improbius,
Et nihili ducit quod non est utile Frustra
  Doctrina imbuitur pectus inano fide.

---

xxxiii TEMERITAS ET PRUDENTIA.

Serpentem vulgi tractabat in ore puella,
  Saga venefica dicta proinde fide.
Hunc sine fraude dabat jam collo, jamque lacertis
  Implicitum, miscens sacchara trita cibo
Tunc etiam lingua vibrante fit anguis eidem
  Proximus, et labris oscula continuat.
Adfuit extremo qui corpore stringeret illum,
  Contactu laesam condoluitque manum
Expertus dentes temerarius inde colubri
  Ingemit at ridet tota corona virûm. —
Obtigit id merito nam debuit ante patratum,
  Hunc offa ex aliqua conciliare sibi

---

xxxiiii DIALOGUS MENTIS ET CORDIS.

Mens sedeo, et regno· Cor sed parere recuso.
  M. Absque voluntatis vi meditabor ego
C. Consul ego penitus meditanti verba negabo
  M. Tunc ferar ad Superos. *C.* Tunc ego mergar aquis.
Est aqua cor mundi *M.* Tellus compescit eandem
  C. Mobile sed quid ego sum ratione carens
Saepe voro immotam, lambendo semper inertem
  Comminuo, ut cedat depopulata mihi
M. Montibus impositis sed adest qui comprimat, atque
  Fontibus expressis cogat habere modum

M. C Ex inmeritis nihil est concludere nostris
Arbiter ecquis erit? — Vox fuit una: Daus

xxxxv. NAVIS INTERAMENTO AETHEREA.

Nutat, ei haeret humi tenui globus aethere turgens
Nunquam alias tanta mole coactus agi.
Tandem aliam invadens caelum, secat aere plausu
Turbarum socio, sed minor usque salit,
Mox adeo minimus, species inversa videri
Possit ut, adjecte mobiliale, pyri
— Quantus erat! dixit puer adstans, quantulus est nunc! —
Proximus huic sanior talia verba dedit.
— Libertatis habes exemplum pensile caelo
Magna est a sensu vocis, at usque fugax
Dumque fugat fit parva vm, fit imagine vana,
Denique frcadatae fabula longa spai. —

xxxxvi. *In vino veritas.*

Quid petis a fama? Celebrari nomina vivum. —
— Quam stultum est! annis nam bona vina latent.
Dumque latent, vires acquirunt, Bacchicum at illud
Quod placet amunctis naribus, atque gulae
Crede mihi in tenebris habitat sapientia Dicat
Vesperis adventu noctua quanta videt.
Quod nisi nox premeret, Sol dissociaret ab udo,
Ut flerent radiis arida cuncta suis.
Exit ab obscuris quod est venerabile seclis.
Pauca reservantur, multa perire tenent.
Justitiam gladio caecam qui pinxit adacto,
Transtulit ad tenebras, eripuitque foro.
Inde fuit veri vinaria cella tribunal
Justitia ad libitum Temporis inde ferit;
Namque monet quae sint tollenda, secanda per ensem,
Turbine seclorum qualiacumque trahat.
Caesa cadunt: vino super his oblivia ducunt
Justitia, et Tempus, congeminantque scyphos

Tempus Justitiae sed fit pincerna fidelis,
  Osor adulantum garrulitate sibi. —
Temporis hinc longo qui vult gaudere favore,
  In praesens taceat, nec manifestus agat.
Vera vitro emergunt Bacchi stringente liquorem.
  Temporis est medium, Justitiaeque merum

---

xxxxvi

MIGDAD.

Migdad erat serpens (habet hoc fabella superstes
  Inter hyperboreos) calliditate minax.
Hunc maris edixit fundo, formidine pestis,
  Rex Superum, obtutu posse nocere ratus
Ille sed in tantum prolixo corpore crevit,
  Ut caput a cauda tangeret ipse sua.
Summus et imus aquas, vi circumeunte, tenebat
  Arbiter, insultans inde cuique Deum
— In manibus vestris terra est, dicebat, et aer.
  Possum ego sed liquida molo gravare solum,
Possum ope nimborum subvertere caelica tractu,
  Intercepta locis et prohibere sacra
Irrita vota dolis facere, et consistere contra
  Porrectum spatiis funditus aequoreis.
Vos licet ambrosia recreari pacis opimae,
  Ast operosus ego sub mare cuncta traho,
Cuncta vero novitate famis, levitate ciborum,
  Luxuries rerum quos peregrina parat,
Mitto et acertos inde unde labore domorum,
  Longinquis vobis, quas faciam esse nihil. —
Dicite qui legitis, quae continuatur, et Orbis
  Chorda metallorum jungit utrumque latus
Mersa salo, semperque loquax a praepete cursu
  Electri liquida vi superantis aquas,
An non hunc Migdad serpentem aetate remota
  Innuit, invento qui juvenescit adhuc?
Ergo — nihil sub Sole novum — vox vera videtur
  Esse, vetustatis verior atque fides

In speculo positi serpentes namque columbis
  Officient, et erit vita perenne mori
Sensus hic est nugis Sine cura moris honesti
  Cuncta quidem cassa sunt leviora nuce

XXXVIII. SERPENS ET COLUMBA.

Frigida serpentis prudentia ferre columbam
  Quomodonam poterit simplicitatis avim?
Scilicet ingenuae naturae semper emando
  Judicia in longam non peritura diem
Nunc latet, et nunc exseritur per tempora serpens
  Opportuna sibi, fitque volumen humi
Contractum penitus, mox versicoloribus ipse
  Distentum squamis, Solis ab igne novus —
Tempora simplicitas vult opportuna doceri
  Sic ope serpentis, ne sit inepta domi,
Vel derisa foris: vice sed prudentia versa,
  Indolis ingenuae transfuga ne sit, agat

XXXVIIII EQULA ET REGULA.

Equla fert tactas sufflitu albescere lanas
  Regula fert pueros aequiparare nivem.
Si flant humiles, dent se docilesque magistris
  Hoc disciplinae maximum ubique bonum est.
Par equus ingenio est, qui si componitur aequo,
  Et fit habenarum sub ratione cicur,
Candidus in plumis it ephippia splendida gestans
  Circumagit, pergat si ferus esse, molam.

L. VERNA AD LUCERNAM

Verna lucernarum caedebat forfice fungos
  Innatos flammis, congerieque putres.
Adfuit, indignum qui diceret esse, ferenti
  Naturae infestas sic adhibere manus

— Abstineam: fiet fumo locus (rite reponit),
  Afficiens nares mox erit ater odor —
Ire vetustatem caute tondere, salubre est
  Conficere ingenio sed jugulaute, nocet.

LI VULCANUS PALLAS ET VENUS.

Pallas anhelantem Vulcanum laedere stupro
  Elusit fugiens, spesque fefellit eum.
Spes ea quotidie fallit vim inferre Sophiae
  Igne poetarum qui perimente volunt
Sunt fines, quibus Ars sint atque Scientia justa
  Inter se positae disparitate loci.
Gratia stat custos, vetat et violare quod obstat,
  Hinc comes Hesiodi, Socratis inde comes
Regna intrare nefas, custode utrobique neganta
  Vel dare se comitem, vel sine fraude sequi
Mulciber ad Venerem migravit, habere repulsam
  Nil timidus: flammas nam capit una duas.
Sed flammam, atque gelu sociare, nec utilis est res,
  Nec bona, nec tandem prospera fine suo.
Solvit flamma gelu: sic Arte Scientia prudens
  Vincitur. At vatûm est desipere, atque legi
Delectabiliter, quod summum est denique vita,
  Quae cruciat spinis: sed rosa culmen habet.

LII PULVIS ET CINIS.

Pulvis ego excutior semper, semperque redundo
  Dormire instituens vespere, mane vigil
Sole procax medio ventis agitata recurso,
  Ut fiam praesens omnibus umbra locis
Officiens oculis, et vestibus acriter uro.
  Femina contactum nec fugit ulla meum
Occupo labra, genas, et quidquid lactea colla
  Continuans humeris, donat habere decus
Pulsus eo, rediens per portas, perque fenestras
  Infestus latebris, visceribusque domus

Exlex vorticibus timeo temerarius unam,
  Quae me confundens imbre resolvat, equam
Castus ubique focos servet Cinis, atque sepulcris
  Conditus, expectat quid ferat ille dies,
Ille dies! qua cuncta cadent resoluta favillæ,
  Quorum testis erit, moxque vorago nihil.

LIII ## VERU ET VERUM.

Esse veru posset si verbum, figere Verum
  Posset idem: *proprium* dicimus illud enim,
Conveniens ubi sit plane sententia verbo.
  Haud aliter *justum* dicitur esse veru,
Si bene transadigit costas, aut terga ferarum,
  Quae sint venantum praeda labore recens,
Justo latrocinio, laudabilis atque cruore.
  I, peta justitiam noscere, vel quid agat!
Vulnerat, et sanat, rapit, addit, opinio mendax
  Prout fert in sylvis, non secus atque foro.
Fulmina vibrari Demosthene dicta fuerunt
  A numeris, quorum cuspide verba secant;
Mox verbis reparata salus it, Achillis ut hasta.
  I, Verum in verbis quaere! medente veru —

LIV ## LIMAX.

Cornua fert Limax: argenti bractea muros
  Tentantem sequitur, prodit et ejus iter.
Ille obliqua docet metiri, jam nec iniquis
  Ad metam spatiis scindere recta viae.
Vitat enim quidquid gradienti oblanditur, audax
  Per noctem conchæ se reserare suæ —
Ætatis nostrae vivi quodcumque viarum est,
  Absque metu invadunt, vi breviterque secant.
Fallit eos sed meta boni plerumque: sagaces
  Se quia, nec cautos ante pericla probant.

LV. MYSTAGOGUS ET MENDICUS.

Dum mystagogus peregrino miracula
Templi, et sacrari res ostendit, indicis
Ex impetu improviso facit hunc coclitem
Cocles ibi pauper ederat stipem rogans:
— Quam melius caecum me fecisses! — hulo ait.
Caecorum nam conditio est inter pauperes
Melior, ad portas templi qui tentant pios
Muti, querulis officiunt et consortibus
Numero minores, habitu deplorabili
Agentes vitam praepotentis olii —
Malorum summa terminatur optimo.

LVI. AMPHORA MUS ET FELIS.

Siquid ridendo, lector, usquam unquam fuit,
Hoc est, quod numeris (videatur ut hic fabula)
Induo canoris, veritate sed mihi
Perspectum, his oculis testimonio datis.
Amphora jacebat singularis ambitus
Oblonga collo, simul angustis faucibus
Humi devexis. Imminente periculo
Felis voracis, mus invasit hanc viam
Salutis. Haesitat, et cunctatur ingredi
Sequax inimicus, tandem lecit, et irruens
Corpore sepultus it, cauda superstite.
Redux e stabulo lixa videt hunc exitum
Fugae praecipitis, et in occulto noxiae.
Protinus occurrit, et arrepto volumine
Caudae, circumferebat ambos amphora,
Fele ejulante, desiccante et altero.
Naturae qui pro minimis tentant viscera,
Hos ad meatus veniunt, ni considerent,
Egressus unde sit futurus, et salus
Interpres vulgus nam tollens quod interest,
Circumferl naso sapientes, qui sic latent
Hoc ipso, quo voluerunt innotescere

Pro coronide.

Siquis miratur, me temporibus absonis
Ridendo, nugas intulisse plurimas
Minime detritum senio, vel deterritum,
Legat, Joannes ille Sanctus quis fuit
Gravatus annis, et redux ab exstasi.
  Tanta magisterii auctoritas, et gratia
Delectabatur olere perdicem domi, et
Huic adludebat blandiendo suaviter.
Venator arcu, et jaculis instructus, senem
Vidit, et obstupuit, sic agentem iudicre.
Sensit Joannes hunc: et, ut coram stetit,
Interrogavit, an quem gereret, jugiter
Haberet arcum nervo intentum lubrico?
Homo quum negasset, ne perpetua flaccidus
Intentione fieret, ac inutilis,
Sic ego (Joannes ait) hoc oblectamine
Animum relaxo, ne sit inutilis mihi. —
  Discite! Nec otium est ulla relaxatio,
Mentem interjungit quae laboribus suis,
Nobilis in pretio ut operae sit solatium.
Noverca sed virtutum est otiositas
Inter cachinnos vigil ab arrogantia,
Mox possidenda somno inexpugnabili,
Oblivione rerum, et originis a Deo.

FINIS

AD CONSTANTINUM DE TISCHENDORF

VIRUM PRAECLARISSIMUM

Biblice Vir, cujus studiis immobile Verum
  Constat, et antiquis lingue sacrata notis,
Magna dabas, majora paras, sub numine Christi,
  Mentis et ingenii vi, calamique fide.
Nos Latii fugientis opes, qua possumus arte,
  Ire retardamus quo trahit unda rapax:
Et, velut Absyrti membra intercisa legentes,
  Conamur formae restituisse suae
In patrio sermone domus est ultima radix
  Eruere hanc certant viribus heu! propriis,
Quis credat? cives patriamque domumque crepantes,
  Dum sine consilio funus utrique parant.
Per fabellarum fomenta salubria nos hinc
  Mulcere audemus, quos furor intus habet,
Et male dilecta novitate erroris, ab ortu
  Quae sua sunt, adigit deserere, atque aliam
Projicere ante sues gemmarum quidquid ubique est
  Nam gemma est sensus nobilis eloquio.
Ecquid nobilius Romanae munere linguae
  Majestate gravis, Religione sacrae,
Quin et amore piae, libertatisque sub alis
  Moribus urbanae, legibus amplificae?
Sic ea fundatae pacis bona jura locuta est,
  Externae ut gentes sponte subire jugum
Vellent, ac reges Romae virtute magistrae,
  Heredem sceptris hanc et habere suis (*)
Totum hoc, proh facinus! mutatur rebus iniquis,
  Obsequio invidiae parentibus avos,
Ne proprium quod adest, veneretur, ametque nepotum
  Progenies, pejor prole futura nova.
Sensus ubi est patriae? sensuque abeunte, latrare
  In nomen patriae nil dubitatur adhuc

Parco, Vir insignis, toi sub vertigine caecis,
  Prorsus ei aversis lumina judicii
Hos ego fabellis sperabam dicere posse
  Ad numeros humilis convaluisse lyrae
Vana fides voto! Post linguam, Troja secunda
  Sed misera amitiet depopulata decus.
Perge, Vir insignis, divino a fonte referre
  Quod sit ab eloquio, maierieque sacrum
Nos de reliquis Latium quod odoret avitum
  (Si tanti liceat pendere parva palam)
Hocce damus specimen, praepostere cura, dolorque
  Quod graviter pulsans eruit ex animo:
Meque mihi fingens majorem sorte Latina
  ,Obdurare fide fert simul et fidibus,
Dum citharam hortantur dimittere noti, et amici,
  Qui super ingenii perditione dolent.

(*) *Cf. Fragmentum Salustianum Taleto Berolinum adlatum, cujus intervalla, litteris exesis, anno MDCCCLV. sic nos supplendo implevimus, post divinationes virorum in arte critica eminentiorum.*

I. Quare fatigato plebes forte concubitu ambobus (*apud*) Metellum, cui postea Cretico cognomen fuit, vel candidatum praetorium sacra via detectos, cum magno tumulto invadit, fugientesque secuta ad Octavi domum (quae propior in propugnaculum) pervenit.

II. Publiusque Lentulus Marcellinus, eodem actore, quaestor in novam provinciam Cyrenas missus est, quod ea, mortui regis Apionis testamento nobis data, prudentiore quam solet per gentelo, et minus gloriae avidi imperio continendo (*vel componendo*) fuit. Praeterea diversorum ordinum etc. (*n. Album di Roma, Marzo* 1855.)

EMENDANDA ET VARIANDA

IN TRIBUS, EDITIS ANTEA, FABULARUM LIBRIS

Pag.	III	lin.	3-4	magistri mararine rei	*legeda*	commentarii
»	»	»	10	rethoricae		rhetoricae
»	2	»	24	abunde historia		historia graeca
»	4	»	22	negat intentos		intentos negat
»	5	»	21	ne non		ne es
»	6	»	11	liquidam per noctem		liquida nocte
»	»	»	14	Bubaeum oppido		Oppido bubaeam
»	»	»	25	induxit polypum		polypum intulit
»	7	»	3	Auratis		Aptis
»	»	»	12	temerarius intulit		intulit temerarius
»	»	»	30	operariorum		operarum
»	10	»	8	proficimus		proficimus,
»	11	»	12	nulla est		est nulla
»	»	»	21	dejecti		heu
»	12	»	5	refert		dixit
»	»	»	14	Audacia et vi congenere		Audax qui vi congenere
»		»	16	olerum series		series olerum
»	»	»	23	Sativae et carduus exultare		Carduus sativus exultare et
»	13	»	9	erucarum		erucae,
»	»	»	10	exclamabat		exclamat
»	»	»	23	peraegre		peregre
»	»	»	34	praevertitur		se librat
»	14	»	10	magno cum pretio		pretio maximum
»	»	»	22	quid quid		quod
»	»	»	23	Suis et momentis hominum imminet		Suae momentis hominum imminet et
»	15	»	12	creditur Senili		veteri creditur,
»	»	»	22	Immanui timuit quid		Quid mlaui timuit
»	16	»	6	propria		sua
»	»	»	10	Siquando correctores		Correctores siquando
»	»	»	11	eripi jam		eripi
»	»	»	23	donec		dum
»	»	»	33	gentibus anno et antea		anno et antea gentibus
»	17	»	20	turtures coram passere		coram passere turtures
»	16	»	14	intra		per
»	»	»	15	Interstringere		Interstringere et
»	»	»	20	pignori		pignore
»	»	»	31	quid narras fabulam !		hic narras fabulam.
»	20	»	1	feneratur est		est feneratur

Pag	23	*lin.*	5	ideo	*legeris*	hinc
»	24	»	7	amores miros incenderet		miros incenderet amores
»	25	»	14	icterus sete diffidit		Diffidit icterus seta
»	26	»	15	cogitavit		cogitat
»	28	»	28	incumbeos		iestans
»	30	»	9	Ut semoe amisse, cerebri iacturam fecerit.		Iacturam ut cerebri, i semoe amisse, fecerit.
»	»	»	33	Solem Sacerdotes		Sacerdotes solem
»	31	»	28	oculi		heu!
»	33	»	17	sonantem		insonantem
»	34	»	19	carpebet		optebat
»	»	»	10	Singula deglutiens exultando		Deglutiebat exultande
»	»	»	24	Ruit praecellens capitis		Capitis praeclarum ruit
»	36	»	7	Servent qui sic eum, fugiont eam tristem esitum.		Minore eam versantur in periculo Servant qui sinsum, terram et bebebunt mortui
»	39	»	15	corruit		ruit
»	42	»	4	invicem		sibi
»	»	»	5	sibi		Mox
»	»	»	7	affegerunt		affecere
»	45	»	7	secondo		secunde (*)

(*) *Non sum nescius* brisam *proprie dici de* acino uvae. *Sed quum in Italiam irrepserint* vocabula briciola, brisa, brisla *pro frusto panis, sic et apud Gallos* briser *verbum significet in partes minutas dissecare, ideo* brisam *pro minimo panis fragmento hic ponere vix dubitavi.*

Pag	56	*lin*	2	erate	*legeris*	rate
»	74	»	12	vix tibi detulerim		Sol dare luce sequit.
»	88	»	12	vellent.		vellent,
»	91	»	15	predire,		prodire
»	92	»	30	eam		eo
»	94	»	3	exhaustae		siccatae
»	100	»	21	mixtis		mixta,
»	104	»	27	leanter		leniter
»	105	»	13	amicos		amicos,
»	119	»	6	id quod,		id, quod

IN RELIQVIS LIBRIS SEX.

Pag	5	*lin*	30	tricentios	*legeris*	tricenties
»	24	»	13	refugi		refugi,
»	94	»	2	dem		qui

286

AVVISO LETTERARIO.

Pare che certe Favole originali lavorate in Latino dal cavaliere LUIGI CRISOSTOMO FERRUCCI, e pubblicate in tre Libri pei tipi Galeati in Imola nell' anno 1867, a tempi tanto scabrosi per la latinità abbiano trovata qualche grazia presso i lettori. L' autore lusingato da questa specie di felice successo, volle aggiungere a quelle Favole sei altri libri: ch' egli raccomanda principalmente ai luoghi di educazione non meno letteraria che religiosa, e morale

In Imola alla tipografia *Ignazio Galeati e Figlio* al prezzo di Lire 2 ital. avranno il volume quanti potranno desiderarlo, e segnatamente coloro, a cui l' autore fece dono del primo, che potrà somministrarlo a chi lo desidera a parte, o unitamente all' altro anche in Firenze al recapito indicato qui sotto. con avvertenza che i nove libri di Favole ecc. potranno aversi riuniti in un solo Volume al prezzo di Lire it. 4.

Il medesimo altro non ne spera, e troppo avrà ottenuto, se arriverà a persuadere gl' Italiani che *razza Latina* non può stare senza *Lingua Latina*; determinandoli con questa nuova prova ad avere in qualche conto l' eredità de' suoi secoli gloriosi troppo a lungo vilipesa: essendo la buona Latinità il termometro della vera coltura delle nazioni; anche secondo i dettami di quel Vico che tutti esaltano, pochi intendono, e meno assai riproducono in esempio.

Ecco come quei primi tre libri di Favole furono accolti da un' autorevole celebrità letteraria del nostro tempo

« C. P. Dire latinissimamente cose da vecchi Latini non dette, nemmeno potute imaginare, è prova di destrezza e di forza che nessuno forse de' moderni in verun tempo e paese vincendo altrettante difficoltà ha meglio date di lei: prova la quale dimostra, come l' analogia e in lingua, e in arte, e in filosofia, e in ogni cosa possa farsi stromento di creazione; e come certi regressi possono volgere in progressi, per compenso di certi altri progressi che sono retrogradazione, e ruina.

Dante e il Petrarca, il Poliziano e l' Ariosto, il Casa e il Manzoni dimostrano come possa allo scrittore italiano tornare proficua la dottrina delle Latine eleganze, le quali spregiare non è già un francarsi da ogni pedanteria, ma un fregiare la barbarie con nuova pedanteria.

Accolga ella, non le mie congratulazioni, chè non ne ha di bisogno, ma i ringraziamenti cordiali del suo obbligatissimo »

N. TOMMASEO

Al cav. L. C. FERRUCCI
Bibl Med Laurenziana
Firenze

ELENCO

Delle Opere fin qui pubblicate dallo stesso Autore.

Probabilità di un nuovo e piano senso nell allegoria introduttiva della Divina Commedia — Modena 1824 — e di nuovo nell Omaggio Catt a **Dante Alighieri** ecc col titolo — Lettura sul Canto primo della D C — Roma 1855.

Metodo d insegnare a leggere col mezzo di venti dadi **(ludus litterarius)**. Ferraro e Scorgalbe — Tip Nobili 1829 — Milano Placido M. Visaj ai tre Re 1836.

Avvertimenti Morali ad un Giovine di spirito — dal Greco d Isocrate ecc — Pesaro 1830

Inscriptionum Fasciculus — Ivi ex typogr. Nobil. 1831.

Carmina — ivi 1831

Apodixis Epistolaris ad studia literarum et artium moresque in primis juvandos — Luci in Aem Melandri 1838.

Specchio di Vita Cristiana del p. m. Vincenzo Giaccari da Lugo ridotto alla sua lezione — Firenze Fraticelli 1844

Inscriptionum Fasciculus alter — Faventiae typ Conti 1849

Lyristes Christianus — **Panopea seu Epistolarum Libri duo** — **Carmen Seculare** — **Epidypnides seu Epigr. Liber.** —Florentiae 1851 et iterum 1852

Scala di vita (*) Memoriale in terza rima — Firenze tipogr G Ducale 1852

Poesie Minori, cioè Sonetti e Cantilene — ivi —

Enchiridion Historiae Pontificalis post Libros Frodoardi etc — Luci in Aem Melandri 1853.

Sulla Pubblica Istruzione Lettere tre — Lugo Melandri 1855, accedunt M. Tulli Ciceronis **Fragmenta de Fato**

Investigazioni Storico-Critiche sul Pontificato di Bonifazio VII (**Ferruti) filius** — Lugo Melandri 1856.

Commentariorum Pontificalium Libri II ex actis diurnalibus Pii VIII. Post Max ab vii Kal Decembr. Anni MDCCCXLVIII ad Frid Non April Anni MDCCCL. — Florentiae ex Typ Magni Ducis 1857

Carmen Seculare Pastis Natalibus Dantis Alighierii Florentiae Idibus Maji A MDCCCLXV Et Ravennae, exeunte Junio, anni ejusdem — Firenze 1865

Iter Crucis D N. Jesu in sententiam S Leonardi a Porta Mauritio — Florentiae typis Nicolai 1865

Specimen Bullae de instauratione Studiorum Optimorum Firenze tip S. Antonino 1865 8

Inscriptionum Fasciculus III — Forocornelii e typogr Galeatiana 1866

Fabularum Libri III Lusus Photographici L Itinera inl. diff M T Cic. Fragmenta de Fato — ivi an. 1867

Lusus Erotici — ivi an 1869

Fabular reliqui Lib VI — lo stesso anno Pub nel 1870

(*) *Si manda franco di porto colle Poesie minori a chi spedirà un vaglia di lire 6 al Cav* LUIGI CRISOSTOMO FERRUCCI — Firenze —